Dissertatio medica inauguralis, de rheumatismo ... / [Gottfried Müller].

Contributors

Müller, Gottfried, active 1707. Stahl, Georg Ernst, 1660-1734. Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeb: Literis Chr. Henckelii, [1707]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ca3tdg9z

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



DE

RHEVMATISMO,

Quam

FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-DENBURGICO, CETERA,

In Illustri Fridericiana

CONSENSU ET AUTORITATE GRATIOSISSIMÆ FACUL-TATIS MEDICÆ,

PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,

MED. D. ET PROF. PUBL. ORD.

DN. PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO OMNI OBSERVANTIÆ
CULTU PROSEQUENDO,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura & Privilegia Doctoralia rite ac legitime capessendi,


Add. Septembr. Anno MDCCVII. horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI

Publico ac Placido Eruditorum examini submittet

Godofredus Müller,

Hernstad. Silesius.

HALÆ MAGDEB, LITERIS CHR. HENCKELII, ACAD, TYP.





PROOEMIUM.

Uàm justa sit, & omni

utique studio quærenda, Rationalis Medicina, sicuti decus ex Artis nomine ipsi quæsitum, innuere potest (ars enim cum recta ratione effectiva esse, definitur) ita tanto magis suadere hoc potest, imò

exigere, dignitas subjecti atque objecti, corporis atque vitæ humanæ. Quam difficilis autem sit hujus scopi attingendi victoria, vix aliud tot seculorum, quam propiusillud proxime elapsi dimidii Seculi tempus, magis declarare potest. Scinditurincertum studia in contraria vulgus, ait olim Poeta: Hodie non docti solum, sed Doctores, circa rationes medicinæ eousque dissident, ut difficile propemodum sit numerum sententiarum discrepantium inire. Non jam extra oleas vagabimur, frustra arguendo miseriam illam humanitatis, quæ tantum exultat summa illa prærogativa rationis, ut non solum, bono quidem jure, per hanc reliquis animalibus maxime se antecellere prædicet; Sed etiam altissima quæque immortalitatis, imò diuinitatis, fundamenta hinc arcessat; cum interim quæ ante pedes sunt, per illam asfequi

sequi nondum valuerit; Suffecerit rem ipsam, tanquam historia nuda, indicando, monuisse, quod in rebus Vitam atque Sanitatem generis humani concernentibus, non folum in hodiernum usque diem, longe adhuc à scopo suo absit ratio, circa res Medicas; Sederiam passim, vel non conquisiverit, vel certe non comparaverit saltem, nudam rerum, uti sunt, historiam, nedum ut inde optaram conclusionem elicuisset. Imovero, si recte advertatur animus, subest hic offendiculum, ipsi quoque rationi quantum cunque ordinatæ, vix evitandum: Veritas ipsorum factorum, assensu firmanda, seu pro tali, qualis etiam esse potest, habenda. Enimvero non exigua resest ad nudam formulam credere, quæ ipse nunquam videris, & propriis sensibo vera cognoveris. Interim, cum hæc non cuilibet suppetat occasio, imo ubi suppetit non ita promiscue, sive voluntas sive facultas, recte notandi respondeat; sit certe ita, ut etiamipsarum rerum quæ com-parandæ sunt, apparatus desiciat, nedum ut ita qualiscunque tandem comparandi dexteritas, finem suum affequa-Certè verò neque ita in hoc objecto plane defecit indoles humana, quin ad minimum juxta Stoicorum Ethicam ita satis defungatur etiam hoc negotio. Sicut enim illi eminentem virtutum cumulum nusquam in uno homine, fed in toto genere humano, ita quærendum esse arbitrantur, ut apud unum illa, apud alium alia, & ita porrò, virtus emicet; ita certe etiam de experientia, & animi adversione ad vera facta, circa res fanitatem hominum concernentes, hoc non incommode dicitur. Præiverunt in hoc genere inprimis an-tiqui, & multa, imò fere potissima consignaverunt. Difficultas eximia est, ne aliam viam insistendo, nempe non etiam in ipsis exemplis veritatem illorum qua illi memorant, quærendo, etiam non satis attendamus ad illa, quæ ipsi omnino collectim, deprehensa annotarunt. Nedum ut vel illa quæ ipfi passim omiserunt, ex aliquorum Singulis, & de reliquo mutilis, monitis supplere, ne dum propria solertia sarcire italiceat. Faciunt hæc omnia maxime perplexam comparationem, atque rationem ex his rebus ernendam; unde minus mirum est, manere etiam hodieque illas difficultates, & impedire potenter veræ artis medicæ incrementum. Connitendum itaque sine dubio, si felix unquam successus in theoria sperandus, ad illum scopum est, ut ante omnia vera constitutionis tam sanæ, quam ægræ, bistoria suppetat, certaque atque firma habeatur. Deinde intendendi sunt nervi ingenii, ad verum ordinatum harum rerum uti successum, ita etiam nexum, contemplandum: Tunc demum spes est, posse propius rerum harum veritatem inveniri. Cum Speciminis Inauguralis mihi incumbat exhibitio, placuit hujus rei exemplum aliquod thematis loco fumere, RHEV-MATIS aut RHEVMATISMI nomine, partim veteribus jam notatum, partim & plurimum quidem, recentioribus famosum. Qui affectus, cum partim rationis comparationi offerat in quo occupetur, partim etiam revera non destituatur tam veritate, quam utilitate practica, spero non desuturum operæ pretium, fi illud perlustremus.

Faxit autem DEUS T.O.M. ut cum ipsa verita-

te etiam utilitatem harum rerum assequamur.

Uantumvis nominum rationem habere, quatenus rerum notationes funt, non justum magis, quam necessarium videatur; dum inprimis eo respicere decet, ut veræillius rei, quæ per nomen tale denotari solet, veram acceptionem ita assequamur, neque aliud forte, quam sub illo nomine intelligi debeat, arripiamus: Non est tamen, quamobrem illis plus justo immoremur, quando vel ex etymo nullam veram analogiam habent cum ipfa re, quam designare debent: vel apud varios revera varie accipi solent, quo intuitu justius certe longe suerit, saltem ipsam rem luculentius profiteri, quam de nomine ejusque juribus prolixe disceptare. RHEVMATIS certe, quin ipsius etiam RHEVMATISMI vox, quam varie accipiarur, jam generalius, jam specialius prolixe & ampliter memorare post Schneiderum de Catarrhis, esset certe Iliadem post Homerum scribere. Imo ne transcribere quidem copiosius ex illo necessarium ducimus, que apud plerosque auctores celebri-ores, qui hujus rei mentionem fecerunt, occurrunt, sed suffecerit omni modo apices ipsos harum rerum executum esse.

Notarunt nempe jam ipsi veteres Rhevmatis nomine, fientem, & Rhevmatismi voce etiam insolescentem & frequentantem, ejusmodi velut inundantem invasionem atque diffusionem, hic illic in corpore oborientem, quæ veras varias, maxime incommodas, veluti stagnationes ibidem formando. variis tam materialibus, quam sensoriis & motoriis ataxiis, fundamentum præbeat.

Quomodo in ipsam vocem Rhevmatis, quod Græcis tantundem, quam latinis fluxus & flumen denotat, inciderint, ut illud illis rebus, quas per illud designant, imposuerint? cum tanquam rem meræ facultatis & arbitrii liberi non integrum sit certo determinare, poterit sufficere si indicemus, quod videri possint ad hoc permoti esse ex eo, quod tales affeaffectus non solum velut inundando incidere in partes, & per illas diffundi, imo ab una ad alteram veluti revera diffluere, appareant: Sed etiam hic illic effluxum omnino aliquem ita sorment, ut, sicut ab hoc effectu materia illorum ita fluxilis suisse appareat, ita etiam modus progrediendi fluori similis hinc judicetur.

IV.

Collegit certe laudatus Schneiderus pleraque quæ ab antiquioribus in hanc rem dicta luculentius occurrunt; monfirat etiam inde, quomodo antiquissimi vocem Rhevmatis inprimis, generalius usurpaverint, pro qualibet largiore & veluti latiore illapsu atque dissussime cujuscunque suide materiæ, alicubi in illa loca, in quæ alias tam liberum atque largum aditum habere neque soleat neque debeat. Postea tamen occupatur maxime in eo, ut Rhevma quidem simpliciter pro genere intelligendum putet, quod ipsum in se, nullum certum affectum denotet; Sed complectatur solum sub se certas species, quæ immediate magis eas res, quæ siunt, secundum materiarum, partium, & locorum diversitatem, designent.

Quamvis in hacre, nominis uti jam diximus, nemini temere controversiam movere in animo habeamus, tamen, ut breuiter dicamus quæ nobis videantur, apparet, ac si vir optimus magis simpliciter hic vestigiis insistere voluerit plurium potius, quamuis nec in hoc senatu ignobilium, sussiragatorum, quam simpliciter ipsius antiquitatis calculo moverii. Certe enim quanto magis Hippocrates Galenum anteivit vivendi ævo; & tamen ille etiam, ut e multis ejus locis dilucescit, adhuc antiquiores suos Asclepiadas, in talium appellationum genere, auctores secutus est: & jam ab illis ipsis susperioribus temporibus usitatas voces usurpat: tanto evidentius utique est, ipsum Hippocratem Rhevmatis vocem illis ipsis rebus adhibere, quas posteriores tanquam specialiore nomine catarrhi complecti sategerunt.

Cæterum, fi cui etiam curiofa antiquiratis aufcultatio hic arrideat, est utique elegans ille locus apud ipsum Platonem III. de Republ. ubi sub Socratis persona, arguuntur mortales, quod incontinentia & intemperantia sua, cum simpliciter vivendo & prudenter, sani esse possent, illum laborem Asclepiada-rum samiliæ objecerint, ut illi, tanquam novis rebus, nova etiam nomina causarum confingere necesse habeant, péquaτα κας πνέυματα, tanquam fontes plurium ulteriorum damnorum & noxiorum schematum, pronuntiando. Ubi nempe non adeo ineptè Paschetto videtur, non tam assentiri huic divisioni genericæ morborum, Socrates, quam potius salse (fibi confueto modo magis ethice quam phyfice,) illam ridere: quod nempe Asclepiada nescio quibus ρέυμασιν κας πνέυμαon, novis & prius in hoc fenfu inauditis commentis, tanquam causis tribuant, quod potius intemperantiæ atque incontinentiæ hominum, finetropo & ambagibus, imputari debeat. Non incommode etiam secundum nostrorum Germanorum philosophiam : Bujje machen Glujfe.

Quicquid autem vel omnes in hoc genere dubitent aut constituant, quasi catarrhi maxime dicendi essent juxta Galeno inprimis usitatam formulam, illi assectus, qui secundum illius, quam amplectuntur, opinionem, à cerebro, aut quomodocunque tandem è capite ad fauces & pectus, veluti disfundantur; certe apud ipsum Hippocratem quovis intuitu priorem atque potiorem, sententiam has ipsas tales res diserte pévuati in acceptas ferendas esse, ipso libro de priscamedicina habemus. Quamvis enim primo tanquam male intellecta videri posset allegatio nominis pévuato, dum videlicet dicit; ubi nobis gravedo seu coryza oboritur, à pevua xunso dia tarpiriem, quod explicant: É humor e naribus esseui, quasi nempe Hippocrates hic pevua solom pro essetu coryza, nempe simplici sucione materia illius, allegaret (sicut etiam ex veteribus aliquos yocabulum rhevmatis pro ipsa materia quae essentia.

場 (9) 場合

Tamen vel leviter adhibenti animum facile apparet, quod hæc locutio adminimum simpliciter, ambigua sit, & æquo jure, imò majore quamante dicto interpretamento, verti possit; Si nobis coryza oboritur, dum ρεῦμα per nares movetur. Interim tollit omne dubium, subjuncta ulterior ρευματω efficacia, dum ulteriores rhevmatum effectus, in alias partes, recenfens, dicit: δσα ρευμάτων έπὶ τες οφθαλμές τε έπεται, quæ verò ρευματα adocutos devertunt: Et iterum amplius: δσα δε εἰς την φαρυγγα &c. quæ verò (nempe ante dicta ρευματα) in fauces procedunt, ab illis fiunt branchi, Cynanche, erysipelata, peripneumoniæ.

VIII

Ne nimis profunde, præter intentionem nostramin has res implicemur, placet omnino diversam peritus viam insistere, & non tam quid aliis quibuslibet, sive ratione nominis imponendi, visum sit, sive differentiæ à catarrho afferendæ, potius illud ipsum intueri, quod tum Hippocrates hoc nomine pracipue descripsit, tum etiam posteriores sub eodem complecti solent.

IX

Hippocrates quidem, loco allegato, inprimis rhevmatis nomine taxat ejusmodi affectus, qui circa varias illas, quas memorat, corporis regiones, actuales veluti influxus agitent; materiz inprimis tenuis non folum, sed etiam præcipuè acris, quæ ardores & inflammationes parere & inferre possit.

Χ.

Ubi certe tota intentio divi Senis, hoc satis manisestat, quando hoc maxime loco argutari laborat, contra vulgatam illam jam illo ejus tempore, opinionem, quasi omnes morbi solum prognascerentur à frigoris & caloris vicissitudinibus; quibus ipse ita potius Secundarum qualitatum, & inprimis acrimonia illius tenuis & attenuantis, & sub hac consistentia sirmius insistentis, quam ut sive cito alterari, sive mature excuti possit, exemplum apponit.

Quantumlibet autem posteriores, ipsi tamen etiam illi propiores, talem eandem deinear seu multismodis molestam atque periculosam, acredinem, ardorum, dolorum, quin etiam inflammationum, architectum, circa partes folum fuperiores, caput atque pectus, Catarrho quoque tribuere voluerint; cum tamen divus Senex hoc ipso maxime loco, Rhevma proprie nominet illud, quod acrem maxime materiam compleclatur atque partibus affundat ac infinuet, relinquimus quidem in medio, (tanquam e cujus etiam operofiore vestigatione, ingens operæ pretium præter nudam curiofitatem, nusquam sperare possimus,) annon revera potius illa acceptione, vel Hippocrati, vel antecessoribus ejus nominum horum auctoribus, in mente suerit differentia, ut, catarrhi quidem nomen potius serosioribus, mucidioribus ejusmodi restagnationibus magis destinaverint; Rhevmatis autem appellationem magis acrioribus.

XII.

Usum certe ipsumsi intueamur, qualis recentioribus potissimam partem placet, dilucescet propemodum, quod illi Rhevmatismi nomine quam maxime insigniant ejusmodi assectus, qui externas inprimis corporis partes, imo vel integras regiones, ardorum, lancinationum, instammationum, vellicationum atque acrium vibrationum, undiquaque autem omnino sensibilium dolorum, Symptomatibus, si non semper, inprimis eximiè & æqualiter, assiciant, possint tamen hoc maxime facere, imo soleant, in quantalibet sui anun constituti.

Ubi, cum Hippocrates quam maxime tali materiæ, quæ ejusmodi effectus producat, Rhevmatis nomen ita absolute præponat, ut non ad qualemcunque distinctionem forte no minet Rhevma acris materiæ; Sed postquam absolute nominavit rhevma, imo effectus ejus. demum ultimo causandi & agendi ratione declaret consistere in illa desuña crasi: non inepte hinc consicitur, quod ubicunque ejusmodi tenuis mate.

egg (11) ggs

riæ restagnatio contingat, quæ effectus illos' ardoris, doloris &c. exhibeat, illa ipsa ad censum Rhevmatis Hippocratici omni utique jure reserenda veniat.

XIV

Sit itaque utique Rhevmatis nomine, veteribus usitato, etiam hodienum noscendus affectus, mobilis talis, & tanquam invasione quadam & velut inundatione, regionibus corporis aut partibus quibusdam eveniens, qui dolorum acriorum sensum illis incutiat, schemate & numero plurium, ingenere vero ardoristanxix inquietudinis, subtilioris atque diffusioris inflammationis, imo etiam alibi effusionis alicujus stuida materia, alibi ad minimum ab ejus infarctu atque restagnatione coorientis tumoris, & tum ab hoc ipso, tum a micationibus parvis Spasticis concursantibus, rigoris, & movendi impotentia.

Nemo erit cui non appareat, quod secundum hanc talem descriptionem, etiam tota arthritis, cum omnibus suis
speciebus ad tale Rhevma referenda sit. Neque vero nos disficultatem veram atque realem invenimus, quæ dissvadere hoc possit, ut hanc Rhevmati amplam in genere ditionem
asseramus. Tanto magis, cum jam etiam antiqua hujus acceptionis vestigia occurrant, quæ manisesto arthritidem inter
Rhevmatis species connumerent; Cujus rei testis exceptione major est Casparus Hossmanus, qui late sumto etiam catarrho, (tanto magis Rhevmati, ut hujus etiam adhuc generi)
subesse assertivum, sed & pleuritidem, peripneumoniam, anginam,
sustantiam, diarrhæam, arthritidem, podagram, chiragram &c.

Si quis autem specialiorem velit Rhevmatis explicationem, illi quidem nostram sententiam facile aperiemus, quod nempe frustrà quidem sit, perplexas scriptorum recentiorum circa Rhevmatismum sententias satis passim discrepantes, ad unam normam revocare; interim adhue alienius, antiquissimorum, & inprimis ipsius Galeni, primo qualemcunque sentem.

B 2 fum

sum exsculpere, deinde formatum potius quam vere talem repertum, pro norma sibi statuere.

XVII.

Cum vero resipsa, nempe vera historia morborum Clinica, demonstret, quod verum quoddam diversum dolorum talium sit genus, quod ab arthriticis simplicibus peculiaribus plane modis differat, & vera veluti irruptione quadam, tanquam inundatoria ruptis aggeribus, partibus obtingat, & stangnatoria dissussimo illas obsideat, imo vero etiam sepius manifestiorem assumam humorum, quin qualemcunque altiorem exundationem eorundem, præ sese ferat, quam simplicior arthritis! non dubitabimus proinde huic ipsi tali, veluti proprii ambitus assectui, etiam strictioris sensus nomen Rhevmatismi proprium assignare.

XVIII.

Et sanè agemus nostra hac tractatione de illo ipso Rhevmatismo, secundum hanc nostram acceptionem: dicimus autem nostram, sine ulla affectatione aut cujusquam hominis
præjudicio, Si quis est aut suit, qui pari hujus essectus affectione nobiscum consenserit, ille habebit nos totos etiam cum
ipso consentientes: tanto magis, cum proprie res ipsa, nempe veritas, extra nos sit, neminis propria, sed omnino communis: & velit certe Deus ut sit communis!

XIX.

Est autem Rhevmatismus vel simplicior, causa materializque atque loco affecto generalior; vel compositus magis, & cum aliis affectibus complicatus, aut ad minimum conspirans, tam materia, quam subjecto locali, specialior. Prior ille, & familiarior propemodum observatur, & est etiam inprimis per initia sui communiter mitior, quantum ad symptomata sensus percellentia: auctior vero communiter, tam dissus fensus percellentia: auctior vero communiter, tam dissus seu ambitu, quam etiam velut essus seu sensus sumplicius plethoricis; quibus vel ad evacuationes per hæmorrhagias res sua respiciunt: vel jam actu evacuationes tales liberum suc-

cessum nactæ, in adsuetudinem abierunt. Hujusmodi Rhevmatismus, ostendit se interdum veluti per totum ambitum
corporis; verâ similitudine illius sensus, qui hominibus plethoricis obtingit, quando fortiùs corpus agitando desatigarunt: vel etiam astuans corpus, nimis cito & intemperanter resrigerarunt. Interim exhibet etiam hic Rhevmatismus
aliquantum diversa schemata, secundum temperiem universaliorem massæ sanguineæ, vel storidiorem, vel serosiorem: &
inprimis serositatis minorem aut majorem dyscrasiam.

XX.

Hic simplicion Rhevmatismus, conspirat plurimum cum arthritide ejusque quibuslibet speciebus; imò est proprie primus ad illam gradus, incidens in communia cum Arthritide loca, & communia generalia tempora, intelligo ætates, anni mutationes, tempestatum varietates. DIFFERT interim & hic generalior atque simplicior, & quilibet tandem cujuscunque ordinis Rhevmatismus ab Arthritide qualibet, utique in eo, quod Rhevmatisinus quidem magis congestionem HUMORUM ad illa loca pertinacem, pro fundamento habeat eorumque stagnationem, & inde nascentem passive tensionis atque pressionis effectum, imo etiam caloris aut ardoris perceptionem, aut denique tumidum infarctum: Arthritis autem omnis generis, magis fundetur in contentionibus foaflicis intrà ipsas partes, quatenus fibrose aut tendinose funt; cujusmodi motitationes, inprimis non simpliciter totos plexus tendinosos occupantes, sed velut in paucioribus talium fibris acriùs fientes, sensus illos acutos, vellicatorios, vibrativos, imo quasi rupturam minantes efformant. Unde certe mirum non est, præcipuam perceptionem Rhevmatismorum magis in porosis portionibus artuum observari; à congestione & restagnatione humorum eò compulsorum; Arthritidem autem, magis sentiri circà talia loca, quæ tendinosarum partium & indoli, & passim sedi, propiores existant. Interim uti Rhevmatismus, sæpè etiam sine vera arthritide existere sine omni dubio folet; ita exadverso, Arthritis Ion-

B 3

gè frequentius jam fuccedit Rhevmatismo, & tandem quidem etiam in solidum: jam comitem illum, imò variorum symptomatum, aut ad minimum peculiaris eorum energiæ, fomitem agnoscit.

XXI

Est autem, ex adverso, Rhevmatismi specialioris formalis ratio quod ortum suum sumat à qualicunque ejusmodi
sive per neglectum particularis Erysipelaceæ aut potius phlegmonodis congestionis atque stagnationis, ita orta, & sensim
inducta velut adsuetudine; vel inprimis, & eminentissimè
quidem, à Febrilis alicujus, segnioris atque lentioris, apostaseos, (inadvertentia tamen & neglectu plurimum adjutæ) in
talem aliquam partem insinuatione sirmiore: qualem utramque conditionem certissimè sequatur imposterum, quandocunque generalior quædam commotionis apostaticæ occasio
obtingit, directio ejus ad antiquam sedem, & velut usitatum
hospitium.

XXII.

Quamvis autem vulgò prospecialissima veluti Rhevmatismi disserntie, & signo quasi pathognomonico, allegari soleat, quod ille magis latè per ambitum partium se dissundere soleat, & musculosas etiam regiones complecti; cum vera arthritis, podagra atque chiragra, potius simplicius ipsas articulationes obsideat: tamen, cum hac ipsa diversitas nequaquam adeo exquisitissimè perpetua sit, quin etiam podagrici veri dolores aque, atque succedentes tumores & insulationes, latius, quam per solas articulorum juncturas extendi observentur, inprimis in dissus atque spongiosioris habitus subjectis: non adeo absolute proinde huic diversitati subscribere possumus, aut certe complicationem ejus peculiarem cum arthritide, notare debemus.

XXIII.

Interim illud minime displicet, quod etiam hæc circumstantia verè attendi mercatur, qua illa phlegmonodes & erysipelatudes, non tam in ipsos articulos, quam porosiores, *** (15) 3E

partes ambientes, diffusio, ad minimum familierior Rhevmatismo, quam veræ arthritidi atque podagræ, notatur. Cum enim apostases ipsæ febriles, ab antiquissimis quidem, & cum illis ipso siippocrate, utplurimum quidem commemorentur ad articulos sieri: Sæpe tamen etiam ambiguo vocabuli significatu, ad artus, imò verò manisesto etiam ad glandulosa loca, parotidibus: ad latiùs autem dissus cutaneas portiones, per Erysipelaceas extraversiones, pertinere, & illi notant, & ipsa Experientia testatur: Imprimis in pejoris moris ejusmodi abscessionibus, quales v. g. totum crus aliquando obruunt, &c. Quæ omnia etiam historiam ortus & processus Rhevmatismi, secundum nostram acceptionem illustrant. Proptereà admittimus quidem etiam hanc circumstanriam, interim veram ejus absolutissimam diversitatem abaliis arthritico-podagricis insultibus, non pariter recipimus.

XXIV.

Tantò magis, cum revera etiam duplex circumstantia in ipsis Rhevmatismis, vera ac realis, sese offerat, que hujusmodi sinceram Rhevmatismi differentiam, que nempe utique ab ipso inseparabilis esse debebat, partim plane refellat; partim ad minimum in summum dubium adducat, e plus pro conspiratione illà cum ipsà arthritide decernat.

XXV.

Certe enim, quod ad primum attinet, cui Practicorum attentiorum incognitæ esse possunt illæ, simplicius ad ipsas articulationes decumbentes primo debilitates, successive sensibilitates, & ultimò etiam non dolentes solum, sed etiam magis magisque & insolescentes, & recrudescentes, assediones, quæ jam à sebrilibus non sincere procedentibus affectibus, ab interioribus simpliciter ad exteriora tendunt, & actu procedunt: jam ab aliis hujusmodi manisestioribus, ad exteriora largiùs factis dissus dissus successos, sed incommodiùs tractatis, coortæ, hic illic occurrunt. (Intelligo Erysipelata, inprimis autem phlegmonodea, non amphius in recenti commotione constituta, è qua ad intimiora ejusdem solùm parmotione constituta, è qua ad intimiora ejusdem solùm par-

tis recurrunt, aliquanto segniùs retroacta.) A qualibus utrisque etiam directe ad articulos oboriri congestiones, & ex his dolores varios, in illis non solum statarios, sed etiam innidulantes atque recursantes, testatur & antiquorum passim narratio, & ipsa propria practica observatio.

XXVI.

Secundò, nemo quod sciam contradicit, quin etiam in ipsis Rhevmaticis doloribus, sensus exquisitior tandem magis directe ipsos articulos complectatur. Cujus intuitu, cum altiùs etiam ad circumjacentes musculosas porosas partes disfusus sensus, potius expansio quadam hujus censeri possit, quam vera directa tanti ambitus occupatio primigenia, non videtur proinde tanti hac ratio, ut pro verè & simpliciter formali, absolute habeatur.

XXVII.

Præcipuam autem propemodum rationem diversitatis, Rhevmatis & fincerioris arthritidis, uti merito in supra dictis duabus præcipuis circumstantiis collocamus; primò quod Rhevmatismi specialiores, etiam quarumvis etatum subjectis obtingere soleant, dum veræ arthritidis species, magis ad certas ætates velut restrictæ & alligatæ sint: Secundò, quod tales Rhevmatismi evidentiùs aliis inflammatoriofebrilibus prægressis pathematibus originem debeant; cum arthritici affectus, simplicius ab hamorrhagicis moliminibus verum hic ortum ducant. Ita facile tamen confentimus, imò verò nostra ex parte, & forte magis propria acceptione, quam maxime adstruimus, quod utrorumque horum affe-Etuum Rhevmatismi simplicioris & generalioris inquam, & arthritidis, non folum fontes fint communes, nempe fanguinearum maxime ventilationum molimina: Sed etiam Rhevmatismus propioribus ferè progressibus atque successibus, recto gradu in arthritidem veriorem obfirmari pergat.

XXVIII.

Nempè, ut progressum etiam faciamus ad modum siendi & Causalem adeo rationem Rhevmatismi, statuimus, quod ille ille specialior quidem, primam suam originem maxime debeat, aporrhœarum acriorum atque tenuiorum seroso-sanguinearum, à sebrili exagitatione sanguinis natarum, imò vel de causa aliqua sebrili materiali residuarum, ultima tali lenta critica elisione, ad partes ignobiliores & longinquiores, nempe vel ipsos artus, vel ad minimum peripheriam exteriorem corporis.

XXIX.

Vel etiam undecunque tandem subnatarum, maxime tamen interno ortu productarum, & quantumliber tacitè ita ad superficiem expositarum, Erysipelacearum copiosiorum heterogenitatum, cohibitione, ne satis promtum atque liberum exitum sortiantur; aut repulsione ad intimiora, eiusdem tamen potius partis quam totius corporis. E quibus circumstantiis, in ipsa ita diutius obsessa parte, utique aptior dispositio, ad receptandas imposterum similes materias subnascitur: maxime omnium autem etiam peculiaris velut inclinatio, iterum iterumque ad similem locum adigendi, qualitercunque similes etiam materias succedentibus temporibus pullulantes, inde concipitur quasi & formatur.

Interim certissimum etiam omnino arbitramur, quod remotiores quantumcunque occasiones, quam maxime adferibi possint plethoricæ constitutionis ejusmodi commotionibus, quibus illa ad generaliores tales, & vere longinquiores conatus, inprimis circa ambitum corporis, congestorios, & latius, circumqualiacunque emunctoria, stagnatorios, induci solet.

XXXI.

Sicuti revera universim, tota Rhevmatismi indoles, quomodocunque etiam, propemodum sive pingitur sive singitur, tamen constante illa confessione, sensibilium ardentium, imo plus minus inflummatoriorum dolorum, simplicissima certe & nihil coacta explicatione, ad sanguineam magis causam materialiter referenda videatur: cum sincerissima etiam gravisvissimarum inflammationum materia, nulla sit certior, quam sincerus, & maxime quidem floridus, sanguis.

XXXII

Quod jam attinet sedem Rhevmatismorum', constituitur illa utique, inprimis à recentioribus hujus rei scriptoribus, liberrima atque latissime patens; quandoquidem, (excepto solum capite & pestore, inprimis interno, quibus partibus evenientes, licet de reliquo cum aliarum partium rhevmatibus absolute geminas læsiones, non rhevmatis, sed catarrhi nomine appellandas, quia inprimis Galenus ita appellaverit, existimant) toto reliquo corpore, tàm interiore quam præsertim exteriore, hunc affectum stabulari posse affirmant.

XXXIII.

Nos, uti quidem his Rhevmatismi ditionibus nihil detrahimus, ita placet tamen inprimis illam ejus maxime familiarem ambulatoriam agilitatem notare, qua maximopere promtus atque proclivis est, ad sedes suas transferendas, & cum, etiam consentientibus omnibus, omnes ipsi pateant, ita etiam libertate sua in illis occupandis utendum.

XXXIV.

Referemus libenter ad hujus affectus hanc indolem, tum quæ vulgo dicitur arthritidem vagam, tum inprimis illos arthritudes, partim dolentes partim exundantes affectus, qui valdè facile ab externis partibus & peripheria corporis, ad intimiora ita compelluntur, ut revera péan, fluere quasi, imò ruere, videri possint: Sed cum ab hujusmodi regressu nec ipsa quoque sincerior arthritis libera sit, non integrum propterea putamus, hanc conditionem huic affectui ut propriam assere: Bene tamen promtiorem atque frequentiorem ejus eventum in hoc affectu, quam sincerioribus arthriticis, omni modo prositeri.

XXXV.

Nempe, ut toti etiam huic rei omnem supersluam pompam atque personam detrahamus, laudamus omnino iterum illam summam conspirationem, qua revera Rhevmatismus senfensim in arthritidem & quælibet ejus schemata, transire ataque ita obsirmari solet, ut revera nulla ampius, nisi sincerius speculativa, disferentia commonstrari possit: aut ad summum talis utrorumque coalitus, ut, licet disfusio illa rhevmatica, expansio etiam ad molliores ambientes partes, specificam disferentiam adhuc tueri videatur, tamen & vis doloris exquisitioris, & propriissima sedes in iuncturis, & tempora invadendi, & modus durandi, succedendi, cessandi, quomodocunque concipiendæ arthritidi, exactissime quadrent.

XXXVI.

Superest ulterior circumstantia, quod etiam veri Rhevmatismi ipsi omnino eventus, ratione inprimis curationis ab arthritide in fundamento minimè discrepent, sed certe ejusmodi tam ventilationibus, quam discussionibus plurimum obtemperent, quibus ipsi quoque arthritici dolores.

XXXVIL

Quemadmodum autem hucusque præcipuè de internis illis caus ejusmodi disfusionum ad varia loca corporis locuti sumus; ita neque negligenda est illa externa subministrata veluti provocatio, quando per arbitrarias evacuationes, natura ad certas regiones corporis, ita veluti manuducitur, ut si imposterum illæ depletiones & exonerationes subsidiariæ, qualecunque levamen naturæ utique ferentes, negligantur, illa interim imposterum ab hujusmodi commedo ulteriùs expectando, imò pertentando, minime pariter remittat, sed potius, cum exitum pariter exsequi non possit, tamen à connisu ad illum, adeoque restrictione humorum ad illa loca, minime abstineat: a qua re utique hoc ipsum sit de quo loquimur, & repetitis tentaminibus, magis magisque adsuescit, nempe verus Rhevmatismus.

XXXVIII,

Sunt autem hæ tales causæ, inprimis scarificationes sæpè atque largiter adsuesactæ, maxime in vera tali dispositione, cui illæ quadrare possint: tum etiam aliquoties iteratus
usus Vesicatorierum: fonticuli quoque diu gestati, & postes
C2 ite-

iterum neglecti: quin ulcera diutius gestata manantia: ambustiones à shuidis servidis, pinguedine, inprimis tamen aquâ: tandem luxationes, contusiones, fractura, non satis mature atque vegete restitutæ.

XXXIX.

De reliquo, licet minime quidem nos lateat illa pleris-que de hacre Scriptoribus tralatitia, assignatio specialissimæ cujusdam materiæ Rhevmaticæ seroso-acris; qualem etiam è Drellincurtio legere est, in quodam hujus generis patiente sub spissitudinis omnino cujusdam particularis densitate, velut effusam, seu iterfusam partium interstitiis, observatam esse: tamen, cum plus hic tribuendum reputemus distinctioni inter causam antecedentem & continentem ut vocant, & effectum demum succedentem, seu verum productum morbidum: Tantò magis, cum etiam revera hujusmodi materiæ'adeo plane peculiaris consistentia, minime videatur consistere posse, cum tam generali conditione partium inprimis ipfarum, quas tam promiscue occupat & obsidet, à posteriori: & causarum prægressarum, verè occasionalium atque prædisponentium, quales maxime proximo so, secundum ipsum experientiæ suffragium allegabimus: Propterea huic sententiæ non ita absolute subscribere possumus.

XL

Quid, quod revera apprime mereatur attendi etiam illa, uti sane non contemnenda est, peculiaris similitudo, quam
Rhevmutismus habet cum illis simplissimis essectibus, qui, maxime tamen euidenter atque eminenter, eveniunt Sanguineo-plethoricis corporibus, à motibus minus solitis localibus
fortioribus. Certe enim etiam hi tales persentiscunt inde
communissime, non solum per unum, sed sepissime in tertium imo quartum diem, talem sensum quasi contusorium, in
illis ipsis maxime partibus, imo vero totis districtibus, qui etiam à Rhevmatismis proprie occupari solent; adeo ut revera
quicquid vel a patientibus Rhevmaticis exprimitur, vel interrogando abillis elicitur, iduniversum allegatis doloribus à

·别(21) 别(

nuda fatigatione insigni succedere solitis, tam si mile sit, quam ovum ovo.

XLI.

Jam cum ille fatigatorii doloris sensus aliunde non dependeat, quam a qualicunque relaxatione partium fibrofarum, quæ post in consuetum earundem usum, tanquam quietis quædam intercessio, velut ordinarie subjungitur in subjectis, quæ non perpetuo vegeto tonici roboris actui, per, corporis, animi, & confuetudinis alacritatem addicta funt: leviter relaxatas autem ita fibrofas porofas partes, eo ipfo largior fanguinis influxus occupat & suffercit: Sequitur inde sensus ille non folum stabilis veluti tensionis, in quo tanquam proprie lassitudo, etiam quieto deinde servato corpore, fundatur: Sed oriturinde etiam à renisu & augescente hinc tensione illud sensus exquisitius incrementum, ad dolorem usque, quo partes ita affectæ & à tactu seu pressione percelluntur, & ipso ulteriore motu voluntario, quatenus hic etiam fine tensoria fibrarum agitatione fieri nescius, interim hujus tensionis jam præsentis, tam magnum & exquisitum sensum inducit. XLII.

Ubi non apparet, quid obstare possit, quo minus illud, quod externa agitatoria fibrofarum partium tenfio, humorum simplici veluti lapsui locum posthac aperiens dum iterum flaccescit, hoc successu producit, formari etiam possit quadantenus inversa methodo, nempe ipsorum illorum bumorum contentiosa pressione, qua etiam tensionem illam, ad inveniendum æque atque occupandum locum, iisdem partibus mox afferant & inferant, quæ in altero cafu aliunde ad hanc receptivitatem ita disponuntur. Quod ipsum interim simulatque agnoscitur ita posse fieri, non opus certe est, neque humore specifice diver so, neque specialissimis, absolute ejusdem sive generationis, sive commotionis, sive in partibus receptionis, longè arcessendis aut conquirendis causis, cum ad totum hoc negotium verè abunde sufficere possit generalis folum connisus talis, ad sanguinem ad certas regiones con-Arinstringendum, aut orgastica etiam simplicior, turgida, ut vocant, sanguinis intestina commotio & expansio; imo etam omnino viarum seu partium porosarum i psarum flaccida relaxatio.

XLIII.

Illustrat hanc constitutionem duplex illa circumstantia; primo, quod etiam simplicius valde plethoricis, quam maxime familiaria esse soleant tales illi, si non plane dolorum exquisitiorum, omnino tamen certe sensibilis tensionis, gravitatis, pressionis, sensus, cum multiplici inprimis tenuissimarum pundurarum, (quasi subtilissimis setis pungerentur,) perceptione: quæ tota res, una cum fastidiosa subinde impotentia ad motus, licet maxime gradu, tamen certe toto genere à Rhevmaticis etiam sensationibus minime dissentit. Secundo, quod quam maxime Rhevmatismus non aliis corporis constitutionibus samiliarior, imo verius proprius magis sit, quam ipsis talibus plethoricis, abundantia, & Sanguineis, textura ipsa corporis: aut certe in hoc genere, multiplicis porositatis, quam maxime coincidentibus phlegmaticis: verissimè vero omnium phlegmatico-sanguineis.

XLIV.

Hoc certè intuitu putamus, quantum ipsam materiam concernit, non æque opus hic esse prolixa specialissima crass, ad hujusmodi essectui parem materiam constituendam; cum etiam simplicem sanguinem hoc posse, ex allegatis elucescat: dico sensum ejusmodi formare, qui à vero Rhevmatico in hoc passu, quatenus sensus est, in nulla re differat, quam sola continuitate eximia, etiam quieto servato corpore; dumille plethoricus desatigatorins, magis solum sub motu corporis tentato, sensibilius se exerit: & in primis etiam duratione, quæ in Rhevmatico longior atque pertinacior esse sole.

XLV.

Imo, videtur huic considerationi tantò plus lucis affundere etiam illa utique consideratio à juvantibus, quod plerorumque auctorum testimonio & inprimis, quod certe optimè notandum venit, eorum testimonio, qui de ea ipsa re ut è propria practica experientia & observatione scripserunt, unanimi consensu, ipsa sanguinis ventilatio, simplex per V. Snes, inter pracipua, & certissima efficacia, hujus assectus remedia, recenseatur: adeo ut etiam Tudeccius una simplici V. Sne Rhevmaticum, (si ita sas est assumere locutionem) non modo à prassente insultu, sed penitus liberatum & in integrum restitutum esse, asseveret; Sicut etiam nota est ingens illa Sydenhamii siducia, quam adversus hoc malum etiam in multiplicibus, & largissimis certè, sanguinis missionibus, tanquam Experientia, solido ductu, constituit.

XLVI.

Minime verò nos fugit, posse etiam ex hac ipsa methodo per V. Snes Rhevmatismum curandi, & quam maxime quidem iterum ab ipfa experientia, argumentum aliquod formari, quod fimpliciori fanguinis, & abundantiæ ejus ad hanc effectum formandum efficaciæ, plurimum detrahere videatur, nempè, quod V. Snis usus etiam non satisfacere curationi-soleat: testibus inprimis querelis prolixis super ea re Guilel. Cole adipsum Sydenhamium. Sed confidimus certè apud clinicæ praxeos peritos, non fore ingens hujus obstaculi pondus, cum utique de omnibus illis affectibus, qui multum debent motibus translatoriis, CONSUETUDO diuturnæ & fre quentioris ejusmodi concitationis, satis cito communiter parum amplius proportionis servet adiplam materiam, quin etiam extra illam & ad citò cooriendum, & pertinaciter insistendum, ingentem promptitudinem exhibent. Undeetiam circà laudatissima quælibet medicamenta, eorumque imparem efficaciam, Practici bene meminerunt respicere ad conditionem affectus inveterati, nempe adfueri.

XLVII.

Imò verò, si etiam altera velutà priori expendatur opinio, quæ causam hujus mali simpliciter in peculiari qualitate sanguinis, seroso-biliosa acri collocat, certe hujus qua talis, tum secretioni penitiori a reliquis humoribus nulla comparet apti-

aptitudo in illis partibus, qua proprie hoc ipfum facere videri deberent, neque certe etiam talis ita singulariter plane proportionata receptivitas in iis partibus, que proprie obsideri intelligi debent. Cum enim neque tumor, neque ardor, in hoc affectu simpliciter perpetuus, adeoque quod ajunt, effentialis, existat; Sed potius profundior ejusmodi sensus in ipsis quoque fibrosis partibus, partim tensioni passivæ gravativæ, partim, sit venia verbo, subtiliretensioni, seu ni sui atq; contentioni adversus illam distensionem reagenti: Et hoc quidem per a-Etivas fremebundas atque palpitabundas micationes atque vibrationes: quæ utraque magis in musculares sibras cadunt, quam quaslibet alius texturæ partes: in his vero & per has, hujusmodi specialissime substantie separatio a reliqua massa humorum, aut specialis saltem receptio subpræclusione aliorum, minime cadat: redditur certe vel ab hoc respectu creditu difficillima illa ratio hujusmodi constitutionis, tanquam specifice materix, que hunc & non alium effectum producere aptasit, & ita etiam specialis solum ejus indolis, vel simplicius seroso-biliosa. Cum enim revera ne in ipso quidem adhuc quolibet Erysipelate, satis probata sit illa ejusmodi vera biliosa materialis constitutio; cum, a propria quidem sede affectus ferofi, teste ipso colore, tenuis portionis sanguinis immixtione pauca & penitiore, imbuta confiftentia, tum reliquis phænomenis, tum in primis hujus affectus ad maligne ulcerofas & Sphacelosas corruptiones propensioni, affatim quadret atque fatisfaciat,

XLVIII.

Interim illud non solum minimè inficias imus, sed maxime potius considerationi commendamus, quod subtiliter acrior consistentia seri, licet non ipsum affectum absolute specifice producere, tamen illum per individua & sensibiliorem reddere, &, iterum dico per individua, etiam ad ea loca illum veluti expendere, & dissundere possit, ad quæ non in omnibus, nempè hac accidentali speciali dyscrasia non affectis, ille non pertingat: i.e. ab Essentiali sua indole hoc non habeat, sed

贸 (25)

fed simpliciter magis ab accidentali per individua acces-

XLIX.

Jam vero si tandem etiam demum inspiciamus, citra inanes fictiones, MODUM EXUNDATIONIS hujus, tam late etiam patentis, utinterdum totum propemodum corpus occupare posse censeatur; vel etiam contrà ita restricte, ut non folum parvam portionem occupet, sed etiam inprimis statis adhuc insuper insultibus, aut ad minimum certe qualibuscunque periodis & recursibus, ante omnia vero ab animi pathematibus, tam terrore, & mærore quam iracundia, denuo provocetur atque inducatur; nulla certe minor verisimilitudo locum hic invenire apparet, quam quod hi tales affectus adscribi mereantur stasibus ab OBSTRUCTIONE prognascentibus. Sicut enim illa res, exceptis specialissimis locis & organis, omnino utique in quibuslibet generalioribus, omni conceptui refragratur; dum talium generaliorum locorum & partium, non folum meatus laxiores atque capaciores sunt, quam ut promtè cuicunque obstructioni subjacere possint: Sed etiam, cum in illis nulla alia verior via & successis præsto sit, quam ex arteriis, per poros, in venarum orificia: arteriosus sanguis autem, quoquo tandem modo constitutus, uti dilutior, ita tenuior semper (eodem tempore) habendus sit, quam venosus: ne dum ut non tam Sanguini, quam tenuiori serose substantiæ (nam simpliciter mucidam hic accusare nemo adhuc, quem viderimus, in animum admisit) aliquid tale adscribi possit: obstructio autem talis in ipsis arteriarum extremitatibus, forte à nemine supponatur: in poris autem partium, alia certe, quam Rhevmatica symptomata produceret: in venis, per naturam mechanicæ structuræ, è tenuiore & arctiore semper ad patentiora progredientis, à ratione aliena sit; omnibus autem hisce modis, vera obstructio, & consequenter verastasis, longè alios corruptivos potius effectus, quam simplices suffarctus, tensiones, qualescunque ardores, imò sit ita, vellicationes aut comcompunctiones, formatura esset: ita disucescit puto affatim ex his circumstantiis, quod obstructionis in hac causandi methodo, nullus usquam respectus locum invenire possit. Tanto minus, si etiam hocintuitu jam allegato illius tam dissus expansionis hujus affectus, ut aliter sieri non potest, ratio habeatur.

L

Sicut autem, quod ab obstructionibus meatuum hic talis affectus primam suam originem sumere non possit, tum hæc fatis confirmant, tum etiam occasionum aliarum in hoc eodem genere nullus par effectus observatur : dum v. g. neque frigus directe & immediate, Rhevmata vel inducit, vel solum etiam provocat; Sed potius improvida ex infignifrigoreiterum concalefactio: nec etiam ædematofæ, imo vel scirrhofæ veriores, pejoris obstructionis justius suspecta, restagnationes; neque scabiosi, quamvisin ulcerationem proni lentores, necab ipsis his malè tractatis coorta ademata, veram Rhevmaticam sensationem æmulentur: ita cum tamen Rhevmata, ipsius etiam Hippocratis sensu, vel in particularia loca incidere possint, & quidem per occasionem etiam frigoris, in illis cooriri tales affectus, qui Rhevmatici post hac haberi & æstimari possunt: Dispiciendum paucis erit, etiam de hac ipsa tali constitutione. Certè, ut in omnibus horum generum contemplationibus, ita in hac ipfa etiam, meretur prudenter æstimari, uti ipsum passim factum ejusque bistoria, ita infuper vulgata etiam ejus, secundum communem notitiam, fingularis constitutio, quæ liberiorem universaliorem ejus, quæ primò intuitu ita æstimari posset, efficaciam, potenter restringet. Quis enim non statim hic reminisci poterit, quod frigoris illa efficacia coagulans, quæ deinde hujusmodi obstructiones producere videri posset, sit utique tam generalissima, & insuper æque generalis observatio, immenfinumeri hominum, in frigore quantumlibet etiam acri obversantium, & tamen ex hac simplici ratione, nullus utique proventus proportionatus, frequens, ne quidem illarum particularium Rhevmaticarum consequentiarum. Cum ex adverso, reverà in vulgus nota sit, talis demum efficacia frigoris (adeoque obstructionum) ad hoc negotium, si vel è frigore citò ad infignem calorem fiat transitus: vel contrà, post insignem calore, inprimis autem fluente omnino sudoris excretione, repentina refrigeratione. Sicut profecto hanc rem nemo usquam melius æstimare poterit, quam ab exemplo in hoc genere veluti crassissimo, pernionum. In his enim cum revera obstructio e usmodi à fummà densatione humorum per gelu exquisitum, præsto sit, tamen tantum abest, ut huic improvide adhibita concalefactio remedium adferat, ut potius frigoris ipsius, à summis gradibus lenissimis successibus facta remissio, coagulationem etiam illam talem reveraiterum dissolvat (ut ex applicatione nivis, aut aque nondum actu ge-latæ, notum est vulgo remedium.) Ita potest certe ab hac generali constitutione transsumtio quædam fieri ad illas etiam suppositas partim, partim veras consecutiones, que non tam simpliciter in crasin humorum, quam potius in motum eo-rundem, & translationes à vicino loco in alium, à sensu magis, quam alio directo effectu frigoris, redundant.

LI.

Jam, cum ipsorum etiam Rhevmaticorum motuum atque translationum, periodicæ maxime reversiones, minime tam simpliciter ab actuali frigore eximio sequi soleant; Sed potius à levi etiam fensu, obscuro adhuc atque tenero quoque: Unde notum est, quod leviores exacerbationes Rhevmaticæ, passim primas aliis hominibus adhuc insensites, tempestatum, insequentes solum demum, alterationes potius, quam eximias mutationes, sequi soleant: non sit certe ex his considerationibus usquam verisimile, quod ejusmodi energia frigoris, in provocandis Rhevmatismis, usquam magis à coagulante in humores adeoque obstruente ejusdem energia, quam simpliciore sensuam alteratione, derivari mereatur.

LII.

Sicut autem ex his satis elucere confidimus, quod Rhev-

matismus, neque simpliciter propriam materiam exigat aut præsupponat, seu potius revera habeat; nec etiam simpliciter specialissimis motuum atque progressium, minimum omnium autem Obstructionum passivarum, generibus aut methodis absolvatur, sed potius veris tonicis stricturis instrui atque dirigi possit: quibus etiam externæ causæ frigoris, nulla tàm simplici essecia in humores, quam potius in partes earumque sensum, plurimum conferat, motus potius provocando, quam humoribus vias obstruendo; ita suffragantur his rebus etiam conditiones partium, in quas Rhevmata vel arctius vel latius incidere solent.

LIII.

Equidem notum est, non tam Hippocratis, quàm posterior i illo scriptorum in verba jurandi impetu, ab aliquibus vel in hodiernum usque diem, affectus appellandos statuere catarrhales, quos Hippocrates disertis verbis, suprà citato loco de prisca Medicina, Rhevmata appellat: quibus inflammatio & ardor, Φλεγμονή κ καῦμα, jungantur: in naribus, in oculis, cum dolore, ardore, & suprema inflammatione: in faucibus, ex quibus raucedines, angina, erysipelata, peripnevmonia. At vero si jam his similia, etiam in alia corporis loca inferiora, neque solum exteriora, sed etiam omnino interiora, ita impelli videantur, tunc uno ore Rhevmata arguuntur.

LIV.

Nobis, missain hoc genere, & liberè relicta, quibus arridet, illa veterum appellationibus unicè inhærendi pertinacia, liberum puto suerit, secundum fundamenta pathologica Dn. D. Præsidi, sed uti quidem contendit, secundum veritatem naturæ ipsarum rerum, solennia, socorum Rhevmaticæ invasioni expositorum, è formula hæmorrhagicorum moliminum atque locorum, censum agere.

LV.

Quamvis enim sub hâc assignatione iis, qui advertere animum voluerint, sorte nihil dissicultatis objectura sit illa latior dissussione Rhevmatismi, quæ apud aliquos homines vel totum ha-

bitum

· (29) 部

bitum corporis complecti agnoscitur: vel illa longior digressio, qua in ipsos artus quasi secedere sentitur, ab hac hæmorrhagicorum locorum ditione abhorrere apparitura sit: cum tamen, uti iam fuprà monuimus, generaliora adhuc, & ad peculiares illos exitus hæmorrhagicos nondum veluti determinata, plethoræ gravamina, ad minimum quando agitationibus corporis, humorum turgescentiæ distendenti, sibrarum & viarum contentio obnitens, inducitur, in his iisdem locis, si non ipsa specie tota, tamen certe quantumlibet subalterna, pares effectus producere foleat : abest propterea tantum certe, ut hæc res a proposito nostro nos dimoveat, ut potius manuducere videatur ad verum eximium & documentum, quod nostra hæc distributio, secundum illam seriem & fundamentum illud, sit vera, & in ipsa re fundata; & usum, ad animadvertendam rationem etiam illius veritatis, fecundum quam Rhevmatismi quoque ita secundum loca discrepent, ut aliis hominibus in hoc, aliis in alio loco, præcipue obtingant.

Sicut enim misera profecto est in pathologia tractanda aberratio, circa ipsum fundamentum, quando bistoriæ affecluum aliter, quam funt, commemorantur; siquidem non potest non simplicissimæ rationi perspicuum esse, quod etiologia, quæ falsam aut sane mancam rei enarrationem, equidem satis recte exhaurire videtur, veræ aut plenæ non possit eadem ratione satisfacere aut quadrare; ita valet hoc reverà etiam exquisite de ipso Rhevmatismo. Et ante omnia quidem de vero ejus habitu tali, ad diversas circumstantias individuorum, ut non promiscue cujusvis constitutionis hominibus, etiam indifferenter quibuslibet locis aut temporibus immineat : Sed omnino potius secundum omnes hos respectus, diversis etiam diver simode.

Ita vero profectò arbitramur, quod, nisi hæc res, cujus generis subjectis, quæ species rhevmaiismi, quibus corporis regionibus atque locis, non promiscue, sed certius obtingat, ut in

in se vera est, & quam maxime scitu atque notatu dignissima, ita ex hac consideratione atque comparatione, lucem inveniat, ex nulla alia quiquam horum consecutura sit: Sed potius in libera illa vagà & quam maxime salsà, acceptione, seu potius deceptione perstitura sit, quasi promiscuè secundum loca atq; tempora, etiam quibuslibet individuis, evenire soleat.

LVIII.

Contrarium autem docebit animum advertentes, ipsa certe observatio, quomodo junioribus admodum, virilis sexus (nam fæminei utique major est promptitudo etiam jam in adultiore ætate,) Rhevmatici affectus magis circà caput & peclus, scapulas & humeros, aut dorsum à scapulis ad lumbos, sedem sigat; Media ætate, juvenili, & slorida virili, magis jam per dorsum & coxas ad semora decumbat exterius: Reversionibus autem suis ad interiora retrogradis, inillis quidem ætatibus magis circà caput, sauces, pectus; in his circa hypochondria, intestina, renes, graviora incommoda, imò damna, moliantur.

LIX.

Et hoc quidem certissimè in Rhevmatismis simplicibus, generalioribus. In specialibus autem, qui vel apostases, sebriles, vel erysipelaceas inflammationes prægressas, vel ab externa vi, luxationibus, distorsionibus, contusionibus, malis vulnerum, ulcerum, fracturarum successibus, ambustionibus, pernionibus, factas prædispositiones sequuntur, est equidem diversa ratio tantisper manifesta, quamobrem tales non ita simpliciter sequantur indolem illorum generaliorum: Interimminime sugere poterit animum decenter advertentes, duplex illa etiam talis constitutionis circumstantia; quod nimirum, primò, etiam ab hujusmodi prægressis causis coorientes Rhevmatismi, frequentius occasionem paroxysmorum suorum, nempè denuo cooriendi, sumant ab istis commotionibus inprimis sanguineis, aut quæ in dispositis etiam hæmorrhagicas commotiones concitare soleant, aut ipsos quoque simpliciores

36 (31) SE

Rhevmatismos, seu restagnationes a sanguineis congestionibus (quales proinde Rhevmaticos affectus, a colore, calore, & exquisitiore fensu, vulgus hisige Bluffe appellat) secundo, quod tales, ab ejusmodi specialibus causis, prognati Rhevmatismi specialiores, pro ratione ætatum satis familiariter etiam in commoda talia Rhevmatica latius diffundant; nempe, dum in parte ita privatim male prædifpolita, cooriuntur, etiam in locis simpliciori Rhevmatismo, secundum reliquam constitutionem, inprimis ætatis, idoneis, consensum, imo potius complexum familiariter moveat: Unde hujusmodi à specialioribus causis magis exquisité p. n. & fortibus insuper ad agendum, pendentes, ordinarie ad majores, & magis anxias perturbationes, non in uno illo simpliciter loco, sed etiam aliis pluribus, concitandas proni funt: imo ad vagos maximè motus tandem formandos, proclives; quin denique ad Febres Rhevmaticas, vehementiores & periculofiores, excitandas, admodum propensæ: quod quidem de illis, quæ Febrilem aliquam apostasin pro fundamento habuerunt, certisfimum eft.

LX

Sicut autem ex his prolixius deductis dilucescere confidinus, quales etiam sint causa specialiorum Rhevmatismorum, leorumque insultuum, non æque exquisite vel loca vel tempora illa sequentium, uti simplicior Rhevmatismus, quæ aliàs sanguinis ventilationibus spontaneis consueta sunt; ita, commendamus merito, ad veriorem etiam conceptum de simpliciorum Rhevmatismorum tali causali indole, vera illa, & si modo animus leviter advertatur, etiam jam abunde nota circumstantia, quod illæ ejusmodi Rhevmaticæ affectiones, quæ v.g. nephritico-hæmorrhoidales conatus sectantur, nempe per dorsum deorsum, & per coxendices sese exserentes, (iterum dico non manifestiores causas externas pro sundamento agnoscentes,) non alii ætati samiliares inveniantur, nifi tali, quæ etiam hæmorrhoidalibus excretionibus propinqua, aut subjecta, sit.

LXI.

Ubi certe mirari licet, quod recentiorum quidam Ischiadicos dolores, etiam in solidum pro Rhevmaticis, nempe arthritidi minimè accenfendis, declarent; cum tamen nihil familiarius sit, quam ex Ischiadicis non solum gonagricos & podagricos, sed etiam chiragricos veros dolores, ita familiariter prognasci, ut equidem podagra, sine ischiade sæpe subnascatur: ischiadicum autem malum, rarissime sæpics fincerum revertens perfiftat, quin in gonagram & podagram transmigret; Imò potius, ut omnis omninò dubitatio enervetur, provocamus merito ad exempla illa, jam alibi a D. D. Præside allegata, & praxin exercentibus cum debita solertia, absque omni dubio etiam è quotidiana observatione passim pariter nota, quorum unum eximium habet Thonerus, ubi & à suppressis hamorrhoidibus coortum ingens ischiadicum malum, harum recuperato successu statim sublatum iterum suit; Sed etiam viri mediæ ætatis, cum arthritide æque reliqua, ac inprimis ischiade, jam diutius nempe per aliquot annos, & fæpius, nempe bis, ter per annum, conflictati, supervenientibus tandem & adfuescentibus hemorrhoidibus, ab ischiade imposterum liberi vixerunt. Equibus certe rebus si non dilucescit, tum quod tales Rhevmatici affectus, qui etiam veram arthriticam indolem nondum penitus induerunt, in tempora & loca hemorrhagica ita tendant, ut non aliis magis, quam sic dispositis, eveniant; sed etiam sanguinis propriè potius, quam ullius alterius materiæ, congestionem talem (quam illi affluxum latino, ut perua Graco vocabulo, falutant) profundamento habeat, quæ si stagnationis, & sub illa tensionis, liberum exitum affequatur, eo ipío dolores in univerfum folvat & auferat: Ex his, inquam, nisi deductionum nostrarum veritas dilucescat, de luculentioribus testimoniis nihil speramus.

LXII.

Hæ sicuti propiores sunt causæ, quæ Rhevmatismos concitare possint & fovere, nempe actuales tales congestiones ad hujus-

hujusmodi loca; ita cum revocare ulterius, tum acerbiores illos reddere & à fimplici indole magis magisque abducere posse dyscrasias humorum, per accidens in diversis individuis occurrentes, nullum puto fore dubium. Exemplar hujus rei vix aliud occurrit illustrius, quam illud, quod Venereis sanguinis impuritatibus obsessi, Rhevmaticis hujusmodi restagnationibus exhibere solent. Quorum videlicet affectuti, uti familiarior est, quam vulgo cogitetur frequentia: Ita imponit certè sæpenumerò propriè sub his schematibus, ut pro-Rhevmatismo venditetur, unde vulgata etiam appellatio locum invenit, non folum Reiffende Bluffe / fed etiam gefalgene Bluffe quam appellationem ne quidem folum vulgus etiam ejusmodi venereo-Rhevmaticis doloribus tribuit, qui ardorum & rofionum folum fenfum offerunt; cum alias Chirurgi appellationem salkichter Bluß/ inprimis ulcerosam jam corruptio. nem & erosionem exferentibus, tum aliis, tum venereis nondum confessis, restagnationibus assignare audiantur.

LXIII

Talibus nempè modis, per accidens, schemata diversa induere Rhevmatismos, facilè est intelligere; Interim simul convenit utique æstimare, an omnes tales collectiones repullulantes, verè pro Rhevmaticis reputari mereantur? nempe talibus, quæ potius vero appulsu & congestione ad partem, sane etiam secundum veterum conceptum, confluxu ad illam, decubitu juxta juniores, ibidem eveniant: an potius magis à corruptela aliqua in parte quadam prædicta, aut coorta, sensim latius circa sese disfundente, & contiguas etiam portiones, tam partis, quam humorum, pervertente, solum in ipso loco tali ita subnascatur? Quæ ipsa certè dubitatio non de nihilo est in Venereis multis ejusmodi collectionibus, & doloribus; quos non exquisite adhuc cognitos, passim contingit pro Rhevmatibus haberi, irrità uti Theoria, ita dehinc etiam praxi.

LXIV.

Quemadmodum autem non fine prægnantibus rationi-E bus bus monuimus atque sustinuimus, quod Rhevmatismi etiam sensim in arthritidis species sincerius transeant; ita considerandum certe est geminum quiddam circa ademata quantum cunque Rhevmatica. Quandoquidem etiam hæc, inprimis impetuosiùs coorta, insolentius revertentia, aut, quod quidem omnibus adematibus familiarissimum est, pertinaciùs durantia, magis magisque hydropicorum tumorum indolem assequentum: præsentissimè vero omnium, quando importuniùs ab exterioribus ad interiora divagantur.

LXV.

Sanè verò non oblivisci decet indolis Rhevmatismorum in hoc genere, omnino eminenter ad retroversonem proclivis. Quæ res cum multas graviores consequentias involvat, antè omnia verò febribus juxta aliquos catarrhalibus, seu potius ingenere Rhevmaticis, occasionem præbeat, erit propterea de his, quantum præsens locus postulat, aliquid utique etiam dicendum.

LXVI

FEBRIS CATARRHALIS aut RHEVMATICA, ficuti nomen fuum à catarrho aut rhevmate accipit, ita locum habere non potest aut incusari, ubi catarrhi aut rhevmatis manifesta indicia, imo vero documenta seu specimina, non præ-Rò fint. Deinde non accedit Febris catarrho aut rhevmati, nisi duabus de causis: primò, quando affluxus, ut loquuntur, ipsa materiæ copia, & motus vehementia, partes obruens, alibi sensum exquisitiorem infert, alibi stagnationem diffusiorem & penitiorem inferendo, plus minus inflammatorii quiddam parturit. (Ubi interim catarrhales & rhevmatica inflammationes, nunquam æque apostematodem sincere (facile suppur ascentem & abscedentem) inflammationem gignunt, quæ in unum aliquem conum veluti aut globum coëat : fed potius phlegmonwdem, quæ latius & profundius, aut erysipelatodem, quæ simpliciter in latum, cum minima profunditate, se extendat.) Interim quam diu tales Rhevmaticæ, sive copiosæ, sive impetuosæ, coacervationes, circa exteriora corporis hærent; aut plane exonerationem qualemcunque nancifcuntur (exemplo acris coryzæ, acris branchi, tussis humidæ acrioris) exhibent verè etiam leniores & minores febres, ultrà leves percursationes horridulas, & volaticos calores, & hæc utraque vagi potius motus, quam ullius ordinatæ distributionis typicæ, nihil habentes: Quando autem circa interiora corporis restagnant, aut eò ab exterioribus vel repelluntur, vel, ut antiqui ajunt, trahuntur, fiente ita Rhevmate, motu dico (dum motibus talibus utique patrandis eo tempore omnimodo intenta est Natura, aut quomodocunquetandem verbis exprimatur horum motuum fiens utique eo temporeatque vigens actus) cum illis in partibus contentiones ejusmodi congestoriæ, fieri non possint, quin & irruptio penitior, propter texturain summe vasculosam, & stasis promtior, pro impetu connisus Rhevmatici & copiosioris & fortioris: & denique ita inflammatio certior, imo corruptio probabilior, cooriatur: Talibus quidem omnibus atque fingulis rebus supervenientes deinde febres, & sensibiliores sunt atque fortiores, quam ante dictæ, & magis ancipitis etiam e-ventus, propter effectuum talium Rhevmaticorum directam indolem his partibus valde periculosam.

LXVII.

Ita enim certè distinguenda sunt, seu potius distribuenda, illa attributa, quæ alia quidem ipsi Rhevmatico affectui & effectui, alia febri, quæ illi supervenit, propriè debentur. Ita enim quando dicitur Febris Catarrhalis maligna, & hoc nomen'non simpliciter pro umbratili, aut secundum certas circumstantias etiam simpliciter exaggerativo, agnosci debeat, designandum profecto erit ante omnia, quo intuitu malignitas de catarrhali sebre dicatur? Certe enim, nisi quidem omnia simpliciter febribus promiscuè assignare in morem venire debeat, & assere, quod quælibet febris, simpliciter qua febris, adeoque ex sua maximè propria indole, spontè possic maligna sieri: autintelligenda ita detur febris alia aliqua maligna, peculiaris propriæ malignæ indolis, quæ, uti Practici E 2

circumspectiores loquuntur, solum nude comitetur, alium affectum, non vero cum illo complicatur, & nihil mutuo commune habeat; Erit ita certe febris catarrhalis maligna nulla alia, nisi quæ catarrhum malignum pro fundamento habet à priori: aut illa, aliunde inducta perturbatione in transversum acta, salutari eventui ita impar evadit. Jam verò, si ipse catarrhus aut Rhevmatismus, etiam mox ab initiis talem indolem exhibere, adeoque febris quatenus catarrhalis est, maligna accusari & coargui debeat; oporter profecto constare de veritate hujusmodi catarrhi, quod ille præsto sit: & malignæ illius indolis aut constitutionis, vel propriæ magis, intuitu materiæ, quam, ad minimum per individua, forte fovet atque gerit: vel socia ratione loci tenerioris, dignioris,& pluribus periculis aptioris. Quam diu vero harum rerum nihil ita præstatur, & non solum nullum catarrhi specimen allegatur aut allegari potest, quod eo tempore emicuerit; quæ vero forte emicant, pro alienis, levibus, & ad suppositam malignitatem, periculosum, imò funestum successium istius febris, nihil pertinere judicantur: Ibi profecto ratum esse debere, simpliciter impositum, tanquam vere ànd un xanns. ad rem ex se terribilem faciendam, nomen febris non tolum catarrhalis, sed insuper malignæ, nemo partium studio vacuus affirmarit. LXVIII.

Sicut autem rhevmata circa omnes partes exteriores, etiam ibi, ubi alicujus materiæ qualemcunque exitum assequuntur, tamen non simpliciter in eo consistunt aut subsistunt, ut
materiam, qualemcunque tandem habere censeantur, alicubi
ita vel seponant, ut evacuandam per illum directe locum universum, vel, iterum dico, quatenus rhevmatismi, evacuent:
Sed potius disfusione intra substantiam seu texturam partium,
restagnando solum, essectus suos perpetrent: Ita quando aliquorsum etiam ad interiora ruere aut repelli dicitur motus
rhevmaticus, non intelligendus erit ibidem simplicem sinceram evacuationem, præsertim simul & semel, & non potius
successive, diuturna contentione, absoluere: Sed potius intra

tex-

texturam etiam ipsarum partium, restagnationem solum formare, certam utique in his locis & proximam antecedentem causam, instammationis, inprimis in latum magis dissus, quam in nodum abscessorium, suppuratorium, directe coeuntis. LXIX.

Unde v. g. Si non pro simplici sigmento haberi debeat, sed assensi plurium etiam samosorum auctorum, concedi, quod Rhevmatismus etiam in stomachum cadere possit, quod vulgus Germanorum eloquitur, es sen simmein Stußin den Mazgen gesallen: nemo certè hoc tam crasso modo, ad vim horum vocabulorum ambiguorum alieniorem, torquebit, quasi illud iéew, constuere, dissundi, intelligisimpliciter debeat, pro sluidæ materiæ essusione in cavitatem ventriculi, quam dissunde potius, per texturam ejus universam, quatenus porosa est: & quidem tantisper adhuc restagnatoriam, nondum actu statariam, (sácu) adeoque verè jam necessario instammatoriam.

Unde quidem non solumintuitu materiæ, inanis est immediatæ evacuationis materia ex hoc ipso loco, nempe cavitate ventriculi, conceptus atque scopus: Sed alienissimus etiam, ratione methodi agendi, conatus, hoc ipsum per concussiones; stomachi persicien li. Cum enim circà omnes, etiam crassiores corporis partes, Rhevmatismis obsessas, inconditas repentinas motuum concussorium tentationes nihil nisi graviora, tam sensus, quam successus & eventus, symptomatasequantur: quid de repentinis & violentis ejusmodi concussionibus ventriculi, si talis supponatur ejus Rhevmatica constitutio, sperari possit, non puto magnis indigere & operosis theoriis.

LXXI.

Est autem omni modo consideranda hæc affectuum. Rhevmaticorum ingenere, si ad instammatoriam indolem propius accesserint, aut penitus in illam prolabantur, constitutio omnibus modis Erysipelatudes potius, quam ullo modo apostematodes. A qua, uti non ab ullo historiæ Erysipe-

laceorum affectuum gnaro, & historia quoque Rhevmatismorum, & relapsuum etiam eorundem quantumcunque perito, simplices tales præcipites fluxus, irruptiones aut eruptiones exspectabuntur, quæ simpliciter iisdem diebus, ubi uno loco disparent, altero tanquam impetu facto, erumpant, & mox craffissimam ultimam illam inflammationis plenam confistentiam subeant: itaest tamen maximopere cavendum, ne tam vehementibus commotionibus turbulentis, humores, & concussionibus repentinis, partes, exagitando, leniores hujusmodi rerum, si sibi constarent, progressus, ita in gravius quiddam, & præsentioris vehementis successus ideam, con-LXXIII It I that beh as southern growing

His ita evolutis, facimus utique aditum maturum ad Therapiam Rhevmatum. Hæc ut verè! methodo nitatur, consideranda est, non solum differentia Rhevmatismorum secundum generaliorem, aut specialem eorum indolem: Sed etiam verus ille habitus generalior, etiam ad specialiores fovendos aut incitandos. Generalior Rhevmatismus, assignatus à nobis est congestionibus sanguinis abundantis, qualitercunque ad exitum spectantis. Hanc constitutionem affeveravimus præbere etiam occasionem majorem, tam ad formandos, quam repetendos, rhevmatismos ex aliarum occasionum specialiorum & violentiorum concursu prognatos. Conducit itaque, uti testimonio ipsa experientia rei hujus gnarorum Practicorum, ita rationali etiam nexu causarum, talis imminutio sanguinis, quæ hujusmodi commotionibus ejus verè praoccupandis, satisfacere possit. Est hac non simpliciter generalissima, neque tempore, neque loco peculiari, adornanda vel instruenda: Sed omninò secundum has circumstantias peritè administranda.

Certè enim, si usquam locus est observationi, quid secundum debitas conditiones tales adhibita fanguinis ventilasio possit, prætumultuariis & liberis ejus fubtractionibus, est

ille in Rhevmatum hoc negotio, imo fincerioris etiam arthritidis. Arthritidi cum suis speciebus, multi sunt Medici, qui fanguinis ventilationes, non solum inutiles, sed vel omnino adversas interpretentur. Interim prudenter adhibitum ejus ufum, magno in illa levamini infervire, constanter affeverat D.D. Præses, exemplis nisus, nequè paucis, nec obscuris aut levibus: "cum inprimis ex ipsa sua cognatione," Vir honestissimus, cum media sua ætate, ischiade, Gonagra,,, Chiragra, Podagra, graviter correptus, & in quar-,, tum annum, octo ad minimum vehementibus infultibus gra-,, viter exercitus fuisset, supervenientibus tandem, & post hac, adfuescentibus per hæmorrhoides ordinatis ventilationibus,, ab 48. ætatis anno ad 78. finem, fine ullo amplius arthritico, symptomate dolorifico vixit: Cui merito jungitur gemina, observatio podagræ, per hirudines, & illastandem secutam,, menstruam hæmorrhoidum exonerationem imposterum, fublatæ historia, à Mouffeto Theatri insectorum lib.II. cap.41. LXXIV.

Quomodo vero etiam ad Rhevmatismos, quibus propemodum uno ore efficacissimum ventilationis sanguinis usum
asserunt auctores, decenter, & cum efficacia sperata, administrari illa possit, equidem prolixè hic evolvere non placet,
benè vero summain rei, quantum necesse sit, complecti.
Sanguinis ventilatio, uti serè semper, juxta D.D.Præsidis
observationem, egregiè efficax est præservative; ita tanto
magis in his affectibus, qui per insultus invadendo, tanto
justiorem saciunt præoccupandi intentionem. Deinde commendamus maxime, non superstitiosam vasorum, sed certe
maxime considerandam regionum in corpore, diversitatem,
in ducendo magis, quàm simpliciter educendo sanguine, servandam. Ubi prudens usus evacuationum in pedibus, animum
peritè advertentibus, plus se ipsum reipsa commendabit,
quàm nos verbis possemus.

LXXV.

Scarificationis prudens usus, quid promittat ad Rhev-

matismos preoccupandos, tanquam nar evoquemos colligere licuerit ex esticacia ejus Rhevmaticos assectus etiam provocandi, si undecunque tandem adsuesactus, inposterum temerè negligatur. Commendamus tamen circa hunc etiam, prudentem magis versus inseriores corporis regiones, quam solum circa superiores, crescente atate, administrandam hanc evacuationem. Quid vero etiam hirudinum usus, prudenter atque dextre adhibitus, possit in Rhevmaticorum etiam assectuum mitigationibus, colligere licet vel ex illarum observationum pluribus, quas dissertatione de Sanguisus operosius è variis auctoribus allegatas, huc transcribere jamono vacat. Interim Scariscationis inprimis usui peculiariter savens etiam corporis textura spongiosior, & phlegmatica temperiei particeps, tanto magis in considerationem venire merebitur.

LXXVI.

Quantitatem mittendi sanguinis quod attinet, non necessariam fore admodum largam, si tempestiva ad praservandum, & opportuna quantum ad locum, instituatur, pro certissimo habemus. Sunt autem tempora opportuniora imprimis proximè ante, aut post aquinoctium utrumque. Locus inprimis in pedibus, prasertim atate jam ultra 25 annos; & ubi ventilatio in brachiis, non admodum jam adsueta est: aut quantumcunque etiam hoc sit, nihil sublevando opera pretium facere videtur. Maximopere vero cavendum esse monemus, ne V. Snibus in brachio, sine prudente, & sane non ita facilè prassiniendo, temporis selectu, magis ansa detur, commotionibus Rhevmaticis, quam quoquo modo vires iis practidantur. Cujus rei, nisi dissuaderet nimia prolixitatis metus facilè specimina allegare possemus. "Unum non grave, erit legere. Fæmina adhuc virgo 24, vel ultrà annorum, spissioris sanguinis dyscrasia affecta, corripiebatur frequentibus & vehementibus, per veros insultus irrumpentibus, doloribus capitis, oculorum, & dentium, concurrentibus, "Suasu D. D. Prassidis utebatur V. Sne in pede, cum pedilu-

(41) 3E

viis, & medicamentis etiam interpolitis convenientibus. Le-,, vabatur inde ita sensibiliter, ut per duos annos & dimidium,,, domestica sua negotia satis commode obire valeret. Con-,, tinuabat tanto magis, opportunis temporibus, repetitum u-,, fum V. Snis hujus. Cum vero & illa admodum hæmo-, phoba esset, & tonsor dexteritate debita nusquam satis in-,, structus, adeoque tandem aliquando, cum frustra, repetita,, etiam incisione, pedem tentavisset, & patiens tamen ad mit-,, tendumutique hac vice Sanguinem animum obstinavisset,,, ille huic operationi imparem se agnoscens, persvadet mulieri,,, ut, tanquam ejusdem abundè, imò absolute, essicaciæ, V.Snem,, in brachio saltem susciperet. Succedebat hæc quidem satis, prompte, sed eveniebat ita, uti dicam. Duabus circiter post, horis, corripiebatur mulier infultu dolorum capitis & oculo-, rum, non solumad ejus sensum prorsus immani, sed etiam, adaspectum externum adeò insolente congestionis vehemen-, tia, ut mulieri oculi graviter extrà orbitam impellerentur, &,, eo ipso Pupilla ita delataretur, ut cacutiret patiens, & vi-, fus amittendi, (quod superveniens balneator ominatus erat), misera anxietate perculsa, ploratu etiam insuper accedente,, in difficillimű certèRhevmaticæ hujus exacerbationis proces-,, sum iterum prolaberetur. Unde iterum iterumque commen-, damus considerationi, quæ prolixius de V. Sne in pede disser-, tatione proprià monita fuerunt.

LXXVII.

Proxima est vulgo quæstio, de evacuationibus per alvum. Purgationes tam in arthritide omnis generis, quam etiam ipsis Rhevmaticis affectibus, samosiore sensu, nempe largiores & fortiores, ab experientia dissivadent Practici. Quas ejus rei, (cur inquam, teste experientia, Rhevmaticis parum commodiasseri sentiantur,) rationes adserant, pro varietate hypothesium, quærere licuerit, & invenire apud varios varie. Nos proveriore ejus rei causa illud habemus, quod, cum secundum nostram considerationem, labes de qua proprie sit quæstio, non in Sero resideat, propterea neque evacuationibus

ferosa simpliciter possit occupari. Interim quatenus etiam serosa vitia aliquando Stimulum constituere possunt, aliquando somitem præbere, suscitandis aut acuendis insultibus, tempestiva lenis evacuatio, tali constitutioni subveniens, non solum noxia non est, sed revera etiam sæpius utilis. Imprimis autem, quando jam senescente, aut certè non in exquisita axum constituto ipso affectu, prudenter adhibetur. Acriores autem purgationes exhibendi, quæ juxta veterum mentem ab articulis ad interiora trahant, uti hoc certe sensu irritus est labor; præterea etiam circumspecta acceptione periculosus foret simplex successus, cum aliunde etiam coorta ab exterioribus ad interiora repulsio, tam rhevmaticorum, quam arthiticorum pathematum, nunquam quicquam melioris sed semper simpliciter deteriora producat: Ita nemini certe, ut hæc talia temere tentet, auctores sumus.

LXXVIII.

Discussio, & evacuatio per diaphoresin, est equidem etiam Rhevmaticis affectibus utilis, fed certe in suo or dine & methodo prudentissima; consonatamen, si quidquam recte judicare valemus, fecundum fanam rationem, veræ affectus indoli. Citò hunc vel dissolutum iri sponte, & quasi dispariturum, vel arte solide cito sublatum, nemo speraverit. Longe facilius autem est cujuscunque etiamgeneris fortioribus commotionibus, ut aliis, ita etiam sudatoriis, nihil nisi magis incitare & acerbiorem reddere totum affectum; inprimis sicalida sul phurea,, aut acria aromatica, aut omnibus modis ad diaphoreticum scopum heteroclita votatilia urinosa, cum regimine sudorifico, in usum trahantur. Malum quidem hoc, nondum admodum infolens, in indole robustiore, simulat interdum perunum aut duos dies mitiorem morem, à sudationibus, inprimis citra fanguinem acrius exagitantia, sed magis simplici regimine, institutis. Sed nihil ad summam rei sufficit, nec impedit, quin non folum post unum vel alterum diem redeat, sed etiam satis pertinax ita evadat affectus: Oboriente inprimis inde universaliore quadam fatigatione, quam

1988 (43) **388**

virium jactura nomine hinc insigniunt patientes. Verbo, quando Rhevmaticus quidam affectus, non præsentem suam exacerbationem inprimis à frigore sensum acrius percellenlente, (quale fere est quod simul humidum) consecutus est, & præterea satis sua sponte mitis existit, tuncirritus est non solum, sed neque satis securus, strictioris sensus sudor, regimine & medicamentis copiose commovendus. Sicut enim, hoc quidem casu, vix usui propius est, quam damno, si hic quoque fortis & copiosus, sudor quà talis concitetur: Ita etiamin tali, magis diuturna æqualis mitis incalescentia, & æquabilis distributio tonica, sublato illo per sensum inducto inequalitatis nævo, in considerationem potius venire debet, quam stricto sensu sudatio, nempe evacuatio ipsa qualiter cunque serosa.

Allegamus autem merito, pro specimine contumacia congestoriæin similibus affectibus, exempla è media vita communi, & vel de populo attentioribus non ignota, de motibns corporis ad lenem sudorem usque, equidem laboriosis imo vero etiam mitissimis, ad leves rhevmaticas congestiones interpellandas, moderato usu idoneis. Ita enim, primo, habemus ejus rei experimenta, in Rhevmaticis, alterius lateris cervicis, Scapulæ & humeri, aut coxæ & femoris, gtavationibus, quæ liberum motum æque atque sensum, admodum moleste afficerent, valente interim sic satis reliquo corpore; Susceptis, modestis tamen successibus, sensim sensimque fortioribus harum partium motibus, limam, ferram, imo fecurim, aut dolabram usurpando & exercendo; aut ambulatione valde diuturna, & magis magisque forti: sensus illos rhevmaticos, ita, quod ajunt, sub manu evanuisse, ut patiens ab illis, per plures horas nihil usquam incommodi persentisceret: Interim quietem denuo capessendo, easdem partes recte & ordine iterum occupaviisse, & prægressam scenam iterum in-struxisse: Ubi tamen repetitis per aliquot deinceps dies, prudente cum moderamine, his etiam iisdem sibsidiis, citius quam alias folebant, etiam bona fide ceffavisse. Quid, quod fa-

familiarià penitus sint hujus rei exempla, quod nempe imprimis lenes hujusmodi affectus, sepenumero homines aggrediantur, qui inter qualescunque diurnos moderatos motus magis quam labores, valde parum molestize ab illis persentiscant; quo magis autem male sibi esse reputantes, quieti se tradunt, vel etiam dum per nostem ad quietem corpus componunt, eo præsentius sentiunt molestias suas & experiuntur etiam acriores. Interim in importunioribus insultibus incitant potius motus fortiores tam partium, quam humorum, reliquam affectuum sevitiam, unde ibi æque, ac intestinæ commotiones, vitandæ sunt.

LXXX.

Dicendum venit verbum de Sporaneis Sudationibus, quas multis, paulò jam annosioribus, aliquando evenire, notum est, matutinas, circà equinoctia, inprimis autumnale. Conqueruntur tales familiariter de similibus, quanquam communiter lenioribus gradu, molestiis, quales Rhevmatismo simplici alias familiares funt; imo si sudationes ha neglectim tractentur; aut per unum vel alterum annum ita spontè coortæ, emaneant, certi sequientur Rhavmatismi, etiam acriores. Sinautem placide, & modeste ipsis indulgendo, successum suum assequentur, procedumt hinc imposterum etiam omnia recte, & percipiunt vel plane nutlum, vel certe non effatu dignam, & indies etiam leviorem, molestiam. Tales fudores, uti fine ulla intestina languinis commotione fiunt, si ita imitari liceret etiamarte, ut placidis, sepius repetitis successibus, per illos etiam lymphæ fubtili nutritiæ aliquid modestissime subtraheretur, non est dubium, quin etiam ad præoccupanda Rhevmatica incommoda efficaciam exhibere possent. Cum autem hoc factufit difficillimum, longevero, fi aliæ circumstantiæ consentiant, securius, per motus corperis vegetiores, talem effectum affequendi, est certe proinde hujus scopi consideratio præservative non negligenda. Cæterumautem dictorum horum Spontaneorum sudorum etiam ratio, & administratio prudentissima habenda. LXXXI.

(.45) 389 LXXXI.

Sicut autem ita, neque rationis verifimilitudine, nec experientiæ documento, repentina, commotione per sudorem, evacuatoriæ eliminationis promtæ imo quasi simultaneæ, sipes ulla remanet; sed potius moderatis successibus regenda venit, placide successiva discussiones, quoquo modo tentum pollicentur diureticæ evacuationes, quoquo modo tentandæ. Cum enim, secundum nostram acceptionem, Rhevmatismorum simpliciorum, & revera secundum non tam generaliorem logico sensu, sed sinceriorem, quolibet intuitu, sui indolem, materiam inprimis præbeat ipse sanguis potius, quam alis quicunque humores; sanguis autem, tum per alias, exceptis sinceris emissionibus, tum etiam per diureticas evacuationes non possit imminui: sunt proptereà, secundum sanam rationem, certe irritæ etiam diureticæ evacuationes. Et quidem tum veriores atque sinceriores, tum tanto magis putatitiæ potius, quam ingenuæ.

LXXXII.

Volatilia urinosa, nemini ignotum esse potest. Cum autem anteomnia præcipuam materiam quæstionis constituere deberet, 70 871, an, inquam, horum Salium ulla usquam sit vera, conspicua, satis prompta essecia, ad certos, qualescunque tandem, affectus sublevandos: cujus tamen quæstionis tanquam insolubilis dissicultas, inter Speculatores, apud Practicos certe suarum rerum sollicitos atque satagentes, saçile invenit solutionem, quod certe nihil usquam tam largis promissionibus dignum inde obtinere liceat, quin potius, in sanguinis acrioribus commotionibus, longe magis heteroclitas, si non æque humorum agitationes, (moderatis dosibus,) tamen viarum stricturas excitando, insignem ita antipraxin suscitare soleant: Pro more tamen hodierno insuper habitis universis his dissicultatibus aggressi sunt varii speculatores, tanquam certa ser perpetuæ rei, explicationes aliquas excogitare. Ubi nempe, contrà omnem physicam & Chymicam rationem (nempe propor-

portionem) Salibus his, paucissimorum granorum dosi, non solum tribuitur ingens, secundum ipsam etiam hypothesin, energia spissum sanguinem in sluorem tenuem reducendi: Sed etiam contrà eandem experientiam (inprimis de Salibus ol eaginosis) parva quoque mole ingens essicacia Diuretica. Ne de diaphoretica positivè tali, his potius salibus, quam nudis coactis regiminibus, tribuenda, simpliciter falsa, prolixe loquamur.

LXXXIII.

Quam inanis autem hoc nomine sit usus Salium volatilium, præter illud, quod plura longè sinceriora æque atque potentiora, omnino ad manus essent diuretica, si talibus sinceris esset opus aut usus, confirmat satis Rhevmatismorum ineptitudo, ut simplici ulla serosa evacuatione tollantur.

LXXXIII.

Unde profecto summo jure etiam circa horum usum respicere convenit ad veritatem practicam Clinicam, nempe, non tam quid suscipiatur atque tentetur, quam quid revera fiat ad votum, & speratum etiam exitum feliciter sortiatur. Non enim sufficit dare medicamenta, hæc, illa, alia; recepta etiam hodie vulgo, sed ipsa, ad quam provocamus, experientia, irrita, & hoc hic illic hodie usitatum & in more positum esse, pro rationestatuere: Sed illud demum confirmandum est experimentis, veris, indubiis, luculenter conspicuis, constantibus & perpetuis, quod talia medicamenta, talibus affectibus adhibita, in illisita certos & conspicuos effectus exhibeant, ut, qui talibus medicamentis utuntur, longe citius ab affectibus liberentur, longe citus levari & mitescere illos sentiant, longe tranquillius ita ad plenam usque restitutionem, decrescentibus ad senfum incommodis, procedant, quam qui talibus remediis non utuntur, paribus affectibus laborantes. Hoc Criterion, ut ad omnes medicinas exquisite quadrat, pro evitanda dubia de illorum veris viribus opinione;ita certe etiam in nostro affectu tam diureticis in genere, quam falibus volatilibus in specie, adhibitum

- (47) 389

bitum, confundit facile omnes de talibus rebus in his affectibus hyperboles.

Sandant LXXXV. Lora To in Landing

Nos, ut fine ita irritis & gratuitis commentis, quæ verè & peritèa practicis observata occurrunt, non solum non negligamus, sed tanto magis etiam inconditas applicationes magis, quam explicationes, rejiciamus, allegamus merito illam Riverianam observationem minime contemnendam, quod animadverterit, infantibus, capitis inprimis aut pectoris catarrbos tolerantibus, urinæ fufficientem legitimam excretionem ad sensum imminui. Quamvis enim in hoc minime vanus aut falsus fueritipse auctor, tamen, quam paru comodè inde quisquam argumentari susceperit, quod ipsa urina sit vera materia illorum catarrhorum, tam parum certè locum habebit subfumtio, quali directa provocatio urinæ, simplex atque verum possit constituere remedium Rhevmatismorum. Præterquam enim, quod longe aliasit connexio, urina in aliquibo catarrhis, & aliquibus inprimis ætatibus, imminuitur : ergo fimpliciter in omnibusingenere: urina imminuitur &c. Ergo ipsa transfertur ad illum locum, & fit stagnationis in illo vera materia; & potest proinde simplici sui revocatione ad consuetas proprias vias, totam rem ita simpliciter expedire atque dissolvere &c. Qua omnia manifesta connexionis anomalia laborant. Poterit certè, qui melius intellexerit, & cordi habuerit, tonicarum stricturarum directiones, versus alia loca, facilius perspicere, quænam sitratio, quamobrem ad oppositas regiones facla largiore transmissione, in oppositis, è quibus transmissio illuc suscepta est, strictis arctius meatibus, quæcunque per illa loca alias fieri so et excretio, rebus nuncita constitutis, minus solito succedatatque sibi constet. Interim ubi reverà hujusmodi casus occurrit, prudente usu, sed maxime quidem moderato, ut aliorum, ad alias ufitatas excretiones placide naturam veluti commonefacientium, adeoque a pertinaci specialiore restructione ad diversa quædam, sed certa tamen loca di-Arahentium, usui esse posse, uti minime dissitemur, ita exigi-

Jugan!

mus tamen hujus quoque rei magis secundariam solum, adeoque placidam utique, moderatam, successivam, & tempestivem tandem prorsus administrationem.

IXXXVI on old and old and

Transimus ad Alterantia. Ex his, pro varietate opinionum de materia Rhevmatismi, placent aliis alia, imo multis multa, quæ quidem prolixe commemorare instituti nostri ratio non patitur. Nos propositam nostram methodum etiam Therapia prosequentes, cum sanguineis commotionibus localibus suscipiendis, intestina utique ansam præbere, aut undecunque coortas, fovere possint, qualium quidem partim causa else potest acre quiddam: partim materialis veluti constitutio, turgida, sanguinis, ut ajunt, expansio: dicamus huic dyscrafiæ lenius contemperantia inter quæ primo ipla absorbentia, inprimis oftracodermata numeramus, tam cruda, quam usta: Medio vero quasi loco hecipsa quoque absorbentia, tanquam in medium statum deducta, per acida moderata, vini, tartari, aceti, citri (quorum usum inprimis perita exhibitio commendabit) supremo autem loco, & verissima prorsus essicacià, Nitrum,

LXXXVII

De hujus Salis usu in Rhevmatismis, uti experientia Clinica, peritè instituta, nempe debitis scopis adhibita, testimonium perhibet amplissimum; ita consideranda meritò est circà hoc quo que Scholarum Medicarum incerta sluctuatio, ut in aliis variis rebus, & cavendum, ne illa optimis experimentis, inane quoddam præjudicium obtrudat. Circa Nitri usum in Rhevmatismis, & quidem inprimis in orgasmo atque turge-scentia compescenda, etiam post evacuationem portionis alicujus de turgesacta massa humorum, notabilis est locus Viri & eruditi, solertis atque operosi, & ut passim ex ejus schediis elucet ingenuè sinceri. Habet ille in dissertatione de Rhevmatismo §.33. hæc verba: In orgasmo & turgescentia (rhevmatica) compescenda, post V. Snem, congrua inveniuntur 1.) potiones. -- 2.) admixtis præcipitantibus -- - 3.) NITRATIS lapide

lapide prunella, nitro antimoniato, Vitriolato &c. utpote qualia remodia Sydenhamio & Mortono (locis ibi allegatis) placent. Nempe vir honestus palam declarat, quod horum virorum affertioni fidem habeat, licet ille non æque expertus videatur eandem efficaciam, quam alias fine dubio, pro reliqua sua ingenuitate, ipse suo calculo magis quam ab illis auctoribus commendasset. Quain re certe longe alia via incedit quam illi, qui Nitri usum in rhevmaticis eo argumento condemnant, QUOD NON SIT USU RECEPTUS. Quam in rem puto ego Præses, nullam meliorem responsionem dari posse, & omnibus modis etiam digniorem, quam illud Plauti, Trinummo Act. IV. fc. III, verbis: Nunc mores nibil faciunt quod licet, nisi quod lubet &c. usque Hercle istis malam rem magnam moribus dignum est dari. Certe vero prudentem hujus salis usum in omnibus similibus affectibus, nisi qui periti sunt, ne intelligere quidem possunt, nedum laudare. Quam ineptè vero Nitro, circa temperandi veram, refrigerandi verò simpliciter, rusticam imputationem, vanis theoriis de usu nitri erretur, potest demonstrare, ab ipsa antiquitate usque, totius propemodum cœtus medici consensus, docens, quod nitrum acre sit, calidum, abstergens, stimulans; Sed nunc mores nihil faciunt, quod licet (nedum liquet) nisi quod lubet: Egointerim Præses longa & multa experientia certus, omnino vel magis, quam sive Sydenhamus sive Morto-nus, peritum usum Nitri, in rhevmatismis, inprimis acribus & jam inflammatoriis internis, intemerata fide commendo.

LXXXVIII,

Quam maxime autem cavendum esse monemus, ne incommodo conceptu de materia rhevmatismorum, animus
adjiciatur ad acriora & calidiora attenuantia, ex antiqua traditione, de catarrhorum causa phlegmatica, pitnitosa, frigida;
quibus ita opponenda videri possint acria, calida, attenuantia. Qua certe non solum, internè vitanda, ne turgescentiis
G

non sine causa infamibus inter veros Practicos, stimulus objiciatur: Sed etiam externè, nisi tenerrima atque temperata, non temerè, & assatim inprimis, usurpanda sunt. Omni bus aliis externo usu palmam præripit Campbora. Sed minimè consundenda cum oleis destillatis, imò vel solum unquinosis lentis, emplasticis tenacibus: Sed potius vel cum simplicissimis paregoricis lenibus, siecis purverulentis (ubi topicis est locus,) admovenda; vel in Spiritu Vini, sed ormaino rectificatissimo, & nihil Empyrevinatici oleosi tovente, dissoluta. Internum autem ejus usum non suademus.

LXXXIX.

Quantumlibet autem, evacuationibus sudatoriis, in Rhevmatismis, directè nullus usquam sit locus, maxime ad evitandam turgidam fanguinis commotionem: bene vero fimplici placidiffimæ diapnoicæ ventilationi, qua quam maxime massa humorum ad aqualem potius placidam distributio-"nem, quam directionem ad unum aliquem locum & diffrictum corporis præ aliis, disponitur; Ita habet illa medicandi ratio tantò magisufum circà declinationem ipforumRhevmaticorum infultuum. Ut videlicet ita omni modo, etiam undecunque jam mitescente congestione ipsa primaria Rhevmatica, etiam equalis illa distributio humorum, ad legitimas placidas, & ipsa aqualitate proportionatas, excretiones, in justam suam & constantem æquitatem redigantur. Cumjenim etiam ipfa contentio rhevmaticæ congestionis, non sit simpliciter volatica, transitoria & evanida, sed tota sua indole, tanto magis autem pro diversitate accidentali causarum, contumacior; Solet etiam non simplici pracipiti exituveluti simul & semel evanescere; Sed, licet etiam ad omnem senfum remittat; tamen non simpliciter & uno impetu dimittere. Unde certe utilissima est, perplusculos ad huc dies ejusmodi modeste incitate transpirationis auctioris continuatio; qua nempe affectus, qui formaliter in motu ad cer98 (51) 889

diuturniore pertinacia continua; & qualitercunque sedatus, tamen non ubilibet pari energia plene sublatus, conquiescit: leni illa maxime æqualis distributionis administratione, ita magis in solidum in verum ordinem redigatur.

XC.

Habent hoc nomine usum alexipharmaca vulgo dicta temperate diaphoretica, & e talibus concinnatæ essentiæ alexipharmacæ. Praservativo magis usui inservit etiam Essent. Succini; quæ ut in simpliciter serosis affectibus, operæ pretium eximium non facit; ita in sanguineis commotionibus, præmissis quæ quantitatem sanguinis respiciunt, in suo ordine atque tempore decenter usurpata, non est certè postremæ, nedum irritæ, essicaciæ. Interim à promiscuo ejus apesida usu non sine causa dehortamur. Myrrhata vero, (nist in teneriore ætate, circumspecto ac perito usu dextrè usurpanda,) non suademus: minime omnium autem, ubi consuetæ sanguineæ evacuationes, vel debitæ emanserunt, vel metuendæ (hæmoptyicæ,) delitescunt.

Opiata ne in rhevmaticis temerè usurpentur candidè monemus; Sin minus, commendamus posteritati solerti excolendam illam observationem, quomodo ab opiatis largius usurpatis, Rhevmatici affectus in posterum ita in coercibiles evadant, ut post hac non solum alia remedia aspernentur, sed etiam sepius, ferocius, diutins, propter leviores occasiones insolescere adsvescant; mature vero posthac etiam ipsa Opiata contumacissime aspernentur.

XCII.

Imo vero, sicuti Rhevmatici dolores, cæteris paribus, & si modo reliqua decente methodo succurratur, non sunt ejus ponderis, ut directam oppressionem postulent; tanto minus autem indicationem verè therapevticam methodicam ullo
G 2 modo

modo suppeditent, utpote quæ (quod certe commeminisse decet) opii usum nunquam suadet, nisi sub indicatione Symptomatum urgentium: quod omnes periti Practici, intelligendum esse sciunt de tali Symptomatis efficacia, qua vel virium, vel placidioris fuccessus, & tranquillioris, nempe ordinatioris, progressus, ingens perversio, aut sbonorum humorum impetuosa depauperatio, induci possit; quorum certe nihil in Rhevmatismis, nisi quidem longe rarissimis exemplis, ab accidentalibus constitutionibus, locum habet; Ita facile quidem mecum consentient omnes, secundum methodum rationalem & indicationes observatas; medicationem exercere solliciti, quod Opiatis medicamentis, in hujusmodi affectibus revera non sit opus, imò secundum therapiam justam, ne quidem locus: Practici vero Clinici circumspecti, advertent animum ad illam observationem, quam in sine præcedentis si proposuimus.

XCIII

Sicubi interim impetus Rhevmatici moderandi aliqua ratio habenda videatur, nempe ipfius motus congestorii leniendi, quod antiquos catarrhum suspendere vocare invenias commendamus, solertius attentis ad successus & essectus medicamentorum, utanimum advertant, quid veritatis in sit in laudata illa antiqua sormula Massepilularum de Cynoglossa: quam quidem, ubi verè locus aut usus esse videtur ejusmodi ipsum congestionis impetum mitigantibus, experientiz testimonio, opio simpliciter, præferre minime dubitamus. Ubicunque tamen narcoticis supersedendi sit sacultas, ab universis potius abstinuisse præferimus.

XCVI.

Quantum liber autem quæ ita tradidimus, vera atque certa esse ipsa experientia æque compertum, atq; ratione certi habeamus, anima tamen totius veri successus, simpliciter, utique est methodus, singula hæc subsidia suis locis atque temporibus, & omnia ordine debito, & subordinatione mutua exequendi. Ubi certe longe aliud est, utilitatem alicujus remedii

remedii certam existera ingenere, & usum ejus ipso opere efficacem assequi! Quod sine justa atque decente illius administratione, nunquam utique siet.

XCIV.

Unde, ut huic etium scopo lucem præferamus, asserimus, quod Curatio Rhevmatismi, in ipsis paroxysmis, sit res longe difficilior, & longe majorem dexteritatem, inprimis autem moderationem atque circumspectionem exigens, quam PRÆSERVATIO & præoccupatio, vel totius infultus, vel ad minimum præcipui illius impetus. Huic posteriori maxime scopo efficacem esse V. Snem affirmamus: Priori vero, nequaquam indifferenter, adeoque directe: Neque si ibi etiam fecundum certas aliquas svadentes circumstantias instituenda videatur, simpliciter apud nos usitato more susceptam, ullo modo expectationi satisfacturam præmonemus. Incertam interim & nullius constantis efficaciæ futuram, nempe promiscue apud quoslibet patientes, quantum libet de reliquo huic dispositioni respondere apparentes. Minime vero verius necessariam existere in curativa methodo, omninò affirmamus. In Curatione vero magis commendamus Nitri, cum absortentibus etiam temperantibus & diapnoicis, peritum, moderatum singulis, sed securum repetitis dosibus, usum. Interponendo, tum alvum magis modeste expedientia quam stimulantia! tum modeste diaphoretica, sine commotione intestina humorum, aut directis anxiis regiminibus; Externe vero, ubi res poscere videtur Camphoram: aut in diuturniore jam pertinacia, spiritum formicarum bene saturatum & rectificatissimum, etiam camphoratum: nec non, eodemtali tempore, spiritum abstractitium serpilli, pariter & rectificatissi-mum, & moderate camphoratum. A salium volatilium externo usu, stuporem familiariter incutiente partibus, abstinemus.

XCV.

Acidularum atque Thermarum, notæ sunt passim pro affectibus Rhevmaticis commendationes æque, atque hominum

num expectationes. Nos, ut à posteriori ejus rei etiam numerosa exempla habemus, quod nihit effatu dignum, ne dum constans aut perpetuum, insolentioribus inprimis, atque magis jam adsvetis Rhevmatismis, contulerint; Ita potest etiam à priori ipsa affectus indoles, hujus rei rationes sufficienter suppeditare. Cum enim neque ab acidulis inprimissub edacitate usum illarum comitante, nec à thermis, quantum libet etiam epotis, cause antecedentis, nempe ipsius sanguinis abundantis sincera imminutio expectari possit: aut lentior certe sit & infensibilior quam ut sensum corporis, nempe Oeconomie vitalis, ullo modo alteret, ad simultaneæ sinbtractionis similitudinem: Fit inde utique, ut efficacia illorum vel nulla sit, vel pro pretio & incommodis exigua, inprimis brevis, & inconstans: tanquam necessario quot annis ad minimum repetenda: vel si imprudentior usus accedat, omnino hetercilite motuum, ab acidulis oppressiones, à Thermis incitationes, inducantur: Unde vel præsentiores inflammatorii, vel languidiores quidem, sed pertinacissimi, phthisici, hectici, tabidi, aut oedematoso-hydropici effectus subsequantur. Balneis etiam simplicioribus, nisi admodum secundarius, & pramissis maxime primariis mediis, parvus, & circa has circumstantias cautus solum patet'usus: Nec ad summam rei ullus ab ipsis eximius effectus reportandus, particulares vero totus, & inprimis prudente peritia adhibenda PEDILUVIA, omni jure merito commendamus. XCVII.

Commendamus autem iterum, ut genius totius affectus, nec in se praceps, sed potius lentus atque pertinacior, nec proinde usquam constanter & quasi per essentiam suam typicus, seu
statis circuitibus quidquam criticum præ se ferens, ita prudenter etiam medendi methodo observetur, ne contrà ejus genium,
(imo verò tolerantiam, ante omnia vero obsequium,) intempestivis commotionibus, sub imperita spe affectum pro arbitrio,
& quod ajunt, magistraliter, expugnandi, nihil nisi perturbationes, heteroclitæ commotiones, periculosæ translationes, &
pluribus modis anomalæconsecutiones, inducantur:

S. D. G,